



1729.

Rosencamp, Victoricus: De obligatione pollicitationes

1735

1. Hammengiesens, Ludovus Christofforus: De recepta verum miserabilium. . . . 39. II
2. Pagenstecher, Henricus Theodorus: Oratio de sceptro, majestatis iniuriam, cum magistratum academicum in alma Vindoburgensi solemniter susciperet.

1737.

Pagenstecher, Henricus Theodorus: Oratio de regali altario cum iurisdictione in fisco publico natus in jure, cum Hieronymum Klingkist . . . in numerum Juris utriusque doctorum solemniter cooptaret.

1744.

Pagenstecher, Henricus Alexander Guinavi D. T. F.:
De emendatione legum per transcriptionem verborum.

1748.

van der Marck, Fris. Mulp.: *De ordine Titius
universi: cū primis juris naturalis principis.*
Lectio altera 1755.

1757.

Eichmann, O. L. ab. *Schedia de Mesomarchia quorundam
dem Neomarchia dicta.*

1752.

1. Schlegkendal, Fridericus Gottopferi: *De originibus
legitimas et imitationem leg. Falcidias inter-
pretatione prudentum introductae.*
2. Schlegkendal, Fridericus Gottopferi: *De juris dictione
originari, seu imperio nullo.*
3. Schlegkendal, Fridericus Gottopferi: *De vocibus juris
dictionis et imperii in genere.*

1755.

1. Schlegkendal, Fridericus Gottopferi: *Res erga pecuniam*

DATA, sive Dissertatio juris Novae ad l. ult. Reg. de cond.
cous. dat.

2. Lybel, Iohann Christian Willh: De Dominionis et usufructu
1760

Lichmann, O. L. ab: De feudo personae

1763.

Schlechtendal, Fridericus Gottfried: De aequalitate pretii
in contractibus servanda.

1764

Lichmann, O. L. de: Oratio de iure Germanico civili
omnibus libris in foro obtinentibus sufficiente

1765.

Wessern, Hermannus Goarbro: De usu l. 7 §. de divore
de regulis juris antiquae

1770.

1. Schlechtendal, Fridericus Gottfried: De eo, quod iuris
est, circa animum de rebinenda possessione

2. Schlegelade, Fredericus Gothofredus: De remediis
juris illi concessis ad intestinam consequen-
dam, qui per accessionem industrialem domi-
nium rei suae amisit.

1776.

Greveler, Christophorus Bernardus: De anno clauoris

1777.

Hilfenmeister, Joannes Fredericus: De communione
bonorum inter conjuges legitima mutato domici-
lio non sublata.

1781.

Hilfenmeister, Joannes Fredericus: Observationes juris
cum indice protectionum suarum semestri hie-
mali habendarum.

1 359
DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA,
De 1729
OBLIGATIONE
POLLICITATIONIS,

Quam,
SOLO DEO PRÆSIDE,
Ex
DECRETO ET AUCTORITATE
Excellentissimi & Amplissimi
DOCTORUM ORDINIS
in Universitate Regia, quæ Duis-
burgi floret,


Pro
Summis in Utroque Jure Honoribus, & Privilegiis
DOCTORALIBUS, rite & more Majorum consequendis,

Ad diem Mensis Julii Anno MDCCXXXIX.
H. L. Q. S.

Solemni & placida Eruditorum disquisitioni exhibet

DIDERICUS ROSENCAMP,
BREMA-SAXO.

DUISBURGI AD RHENUM,
Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi.




DISSE
I N C L Y T Æ
S. R. G. IMP. LIBERÆ REIPUBLICÆ
BREMENSIS SENATUI SPLEN-
D I D I S S I M O,
V I R I S

Illustribus, Magnificis, Excellentissimis, Nobilissimis, Amplissimis, Gravissimis, Consultissimis,

DN. CONSULIBUS,
DN. SYNDICIS,
DN. SENATORIBUS,
PATRIÆ PATRIBUS PRU-
DENTISSIMIS, DOMINIS AC MÆCENA-
TIBUS SUIS. ÆTERNO OBSEQUIO ET VE-
NERATIONE PROSEQUENDIS,
DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM
SACRAM FACIT,
ET ILLUSTRİ EORUM NOMINI

Submissa veneratione
in scribit

D. ROSENCAMP.



DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

De

OBLIGATIONE
POLLICITATIONIS

CAPUT PRIMUM.

De

OBLIGATIONE POLLICI-
TATIONIS IN GENERE.

§. I.



D officia, quæ auctor Naturæ DEUS *Promif-*
hominibus imposuit, fidei datæ religio- *sionis san-*
sa præstatio pertinet maxime. Quippe *ctitas.*
in officio, quemadmodum M. TUL-
LIUS, *lib. 1. de offic. cap. 2. ait, colendo*
sita est vite honestas omnis, & in negli-
gentia turpitude. Atque præcipue ca-

stam fervare fidem omnibus convenit, quia

Non bove mactato caelestia Numina gaudent,

Sed quæ præstanda est, & sine teste, fide.

A 2

Uti

Uti in epistola Acontii ad Cydippam OVIDIUS, *Epist. 20.* cecinit. Sane veteribus res tam sancta fuit, ut Numa fidei solenne institueret, *LIV. lib. 1. Cap. 21.* & in Capitolio vicina Jovis Opt. Max. illa statueretur. TULL. *d. l. lib. 3. Cap. 24.* Quare, beneficia ut illibata, ut integra ad eos, quibus promissa sunt, perveniant, iustitia flagitat. Nihilque venustius est, quam cum promissis fides subjiciatur, & verba res sanciat, quod ad laudem Herois sui retulit PATERCATUS, *in Panegy. ad Theodos. cap. 18.* Ideoque VALER. MAXIMUS *lib. 4. Cap. 7.* tantum venerationis fidei viribus deberi existimat, quantum ceremoniis immortalium Deorum. *Illis enim, inquit, publica salus, his privata continetur: atque ut illarum aedes sacra domicilia, ita harum, fida hominum pectora, quasi quodam sancto spiritu, referta templa sunt.*

§. II.

*Promissionis in-
doles.*

Hæc tamen promissionis sanctitas minime efficit, ut quæcunque lingua improvida temere effutiit, servanda sint, licet vel ab æquitate discedant, vel a mente proferentis discrepent. Nam quod promisso continetur, implere, non magis æquum est, quam polliceri ea, quæ justa sunt, ceu Agesilaus respondit apud PLUTARCH. *Apoph. regn. Lacon. princ.* & ea solum dicta, sive promissa admitienda sunt, quæcunque sic dicuntur, ut præsentur, non ut jaçantur. ULPIAN. *in l. 19. §. 3. D. de Aedil. edict.* Itaque in discernenda promissionis indole non ad verborum sonum adeo, quam ad dictionis sensum respicere oportet. Sicque dictum a promisso discernitur: cum dictum quidem sit, quod verbotenus pronunciatum est, nudoque sermone finitur; promissum verò animum obligari volentem supponat, ac desideret. ULPIAN. *d. l. §. 2.*

§. III.

§. III.

Quod si vero promissionem obligatoriam intercessisse *Promissio*
jam constet, ex circumstantiis porro dijudicandum erit, *quotu-*
an ad nudam promissionem ea referri debeat, sive pollici- *plex.*
tationem vel ad sponsum. Etenim licet promissionem
has complecti species monuerit *ULPIAN. alleg. l. effica-*
cia tamen obligationis, quam pollicitatio generat, obscura
est & difficiles habet explicatus: quippe quod sciendum
sit, non semper cum obligari, qui pollicitus est, *ID. in*
l. 1. §. 1. D. de pollicit. uti nec urgeri eum posse, veluti
DIOCLET. & MAXIM. rescipere in l. s. C. de contrab.
& comm. stipul. Quamobrem non inutilis erit labor, si
fundamenta obligationis pollicitationi propriæ, curiosius
evolvantur, indeque fines ejusdem lucem clariorem acci-
pant.

§. IV.

Ut vero explicari res obscura apertius possit, quid sit *Obliga-*
obligatio, prius, deinde, quæ pollicitationis significatio, *tionis vo-*
disquirere conveniet. Atque utrobique peccarem fortasse *cabulum*
in morem & rationem juris, si auspicarer aliunde, quam *unde.*
ab origine ac declaratione vocabulorum. Nisi enim prorsus
fallar, studium verborum insignis est momenti ad sapientiam
juris comparandam: quandoquidem illa non in tacito intellectu
naturæ tantum, aut legislatoris ratione, sed in legum verbis
quam maxime etiam continetur. Quo fit, ut nemo feliciter
possit ad sententias juris pervenire, cui non optime legum
verba fuerint perspecta: Secundum quæ a *QUINTILIANO, Instit. Orat. lib. 5. cap. ult.* traditum
est, summum veritari Jurisconsultorum circa verborum
proprietas studium, quoniam ut idem loquitur *lib. 12. cap. 2.*
Quæstio juris omnis, aut verborum proprietate, aut æqui disputatione, aut voluntatis conjectura continetur.

Obligationis vocabulum igitur quod attinet, id a verbo obligare, hoc autem a particula *ob* pro *ad* posita, & verbo *ligo* utique descendit, sicque compositum est. Dubitant tamen Grammatici, unde notationem verbi *ligo* petere potius debeant. De VARRONE testatur SCALIGER, *de plant. lib. 1.* quod a *legendo* ligare dictum esse existima verit. Sed SCALIGERUM ita censentem dormitasse, alii rectius opinantur, qui VARRONEM non de verbo LIGO, sed de *Ligone*, quia eo sub terram legitur, egresso ostendunt. VOSS. *Lexic. Etymol. verb. Ligo.* Ipse tamen SCALIGER. *de caus. ling. lat. cap. 26.* Græcum $\lambda\upsilon\gamma\omicron$, vitex, quia planta flexilis est, & apta ad vincendum, mutata *v* in *i* breve, originem dedisse Latinorum *ligo*, probabilius asserit. Ubi tamen prætereundum non est, planiorem adhuc notationis causam adesse videri, cum *ligo* Græcorum $\lambda\upsilon\gamma\omicron$, vincio, hoc vero verbum $\eta\lambda\upsilon\gamma\omicron$ s vitex referat. Æque enim ac a $\phi\upsilon\sigma$ *fit* est, & a $\phi\epsilon\upsilon\gamma\omicron$ s *frigo*, ita pariter a $\lambda\upsilon\gamma\omicron$ s *ligo* convenientissime deducetur. Conf. PERROTT. *corn. cop. verb. ligo.* Unde cognosci haud difficulter potest, quare obligationem *vinculum* insigniverit PAPINIANUS in *l. 59. D. de condict. indebit.* & per obligationem fidem adstrictam fuisse, testatus sit. *ID. l. 67. D. de procur.*

§. V.

Obligationis definitio.

Sive autem *ligo*, sive vitex $\lambda\upsilon\gamma\omicron$ s obligationis nomen generaverit, sub obligatione certum constringendi modum latere, quivis exaudita nominis ratione intelligit facile. Neque tamen tam exploratum ideo est obligationis argumentum, ut quæ complectatur capita, brevi & circumscripta explicatione definire statim liceat. Nam Philosophi pariter, ac Jurisconsulti in designandis obligationis finibus, quin etiam in recensione personarum, in quibus

bus esse obligatio dicitur, opiniones adferunt varias, atque inter se dissidentes. RICH. CUMBERLAND. *de Leg. nat. cap. 5. §. 27.* obligationem definit, prout est actus Legislatoris, quo actiones legi suæ conformes eis, quibus lex fertur, necessarias esse indicat. Alio adhuc modo Jurisconsulti Romani nonnunquam ipsum jus ex obligatione natum, vi cujus obligationem recipienti quid debetur, obligationem appellant, quo sensu ULPIANUS in *l. 19. D. de hered. vel act. vend.* obligationem venire dixit, & PAULUS in *l. 3. D. de Oblig. & Act.* obligationum substantiam in eo consistere docuit, ut alium nobis obstringat, IDEM vero in *l. 21. ff. de verb. sign.* ad bona concessa non jus obligationis, sed ipsam obligationem retulit. Atque negari nequit, tolerari has JCrorum locutiones prius posse, quam CUMBERLANDI sententiam, cum rerum se mutuo respicientium vocabula commutari alias quoque soleant. Attamen quia verba cujusque rei propria esse oportet, & is, cui quid præstandum, jus propterea exercere dicitur; hinc obligationis censeretur restricta magis significatio, quæque in eo, qui alteri obligatus est, subsistat. Itaque non incommode definiri obligatio poterit, quod sit *qualitas moralis, qua quis præstare aliquid, aut pari teneretur, necessitate morali.* Sane ad explicandum hæc definitio videtur esse expeditior, quam illa, quam Clariss. WOLFFIUS, JCtus adfert, qui *Jur. Nat. & Gent. part. 1. cap. 2. §. 4.* denotare obligationem arbitratur, *sensum illum officii, quem animus bene institutus ex intellecta norma, respectuque ejus utilitate concipit, atque eo ipso per-motus ad hanc sponte actiones componit, aut ex usu vulgari, & impulsu illum, quo homo, ob pœne metum, ad rationes officii, aliquo modo, vel reluctante intra pectus volunrate, exsequendas disponitur.* Ut enim taceam duplicem ejusdem

dem rei non esse constituendam definitionem, ne entia frustra multiplicentur; certe sensum officii, aut impulsum, tanquam id quod obligationem efficit, inani ostentatione venditari, prorsus arbitror. Quippe licet obligatio cum coactione, voluntatem extrinsecus saltem concutiente, misceri haud debeat; PUFFEND. *Jur. Nat. & Gent. lib. 1. cap. 6. §. 5. in fin.* tamen omnis illa fluit ex norma agendi, tanquam effectus primario ab eo intentus, qui normam præscripsit, uti recte docuit B. THOMAS. *fundam. Jur. Nat. & Gent. lib. 1. cap. 5. §. 10.* Itaque norma metum potentia legitimæ non inferre non potest omnibus, qui regulæ præscriptæ subjiciuntur. Hocque modo norma necessitatem parit, exigendi actiones ad normam, quæ ipsa est obligatio. Unde consequitur, sensum officii, aut impulsum ad effectus necessitatis ac obligationis pertinere, ideoque hanc constituere minime posse. Neque enim causa per effectum definiri debet, observante BARTOLO, in *l. 1. pr. D. de appellat.* sed potius causa ut præcedat effectum, necessarium est. Arg. *l. 24. §. 9. D. de fideic. libr.* Quæ ratione affatim simul satisfacit omnibus, qui GROTIUM ac PUFFENDORFIUM, Viros maximos, notare contenderunt, quasi necessitatem, ex qua coactio pender, obligationis descriptioni inferuerint. Vid. Clar. WOLFF, *at. leg. l. in not. lit. 2.* Aliter JUSTINIANUS Imp. in *pr. Inst. de Oblig.* obligationem esse dixit, *juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvenda secundum civitatis nostræ jura.* Sed adoptare hanc sententiam, cum generalis obligationis constitutio in quæstione versetur, non mediocriter pertimesco. Equidem generalior illa est, quam Græcus interpres *b. l.* censuit, quemadmodum ipse ACCURSIUS annotavit, male ideo erroris insinulatus, a VINNIO, in *not. ad pr. Inst. de Oblig.* Imo probabile est,

JUSTI-

mo

JUSTINIANUM solvendæ rei necessitatem eo sensu posuisse, ut facti etiam præstatio contineatur: quandoquidem rei verbum generale est, teste ULPIANO in *l. 1. in f. D. de reb. cred.* & obligationum substantia in eo consistit, ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum, veluti PAULUS inquit, in *l. 3. pr. D. de oblig. & act.* At qui obligationis vinculo constringitur, non dare vel facere semper tenetur, cum pati nonnunquam debeat, quæ verba, cum proprie accipiuntur, disparis sunt conditionis. POMPON. in *l. 15. §. 1. D. de servit.* Præterea obligationis definitio universalis ad alias quadrare debet obligationum species, quam quæ civili cujuscunque civitatis jure continentur. Quare, ut apta maneat, & inter se convenientia definitionis verba, eandem obligationi autoritate civili præditæ referenda esse censui.

§. VI.

Nimirum obligationis, nec eadem semper ratio est, neque vis ac efficacia, cum species istius magna varietate distinguantur. Neque tamen animum induxi, penitus exponere, quanta series specierum sit, atque ut ex aliis aliæ necantur. Interpretes quippe juris naturalis pariter, ac legum civilium commentatores tam curiosam obligationis fecere anatomem, ut partium, scopo meo non adeo infervientium, supervacanea fuerit commemoratio. Divisiones obligationis in internam, & externam, & utriusque in naturalem ac civilem, solæ ex omnibus sunt, quas enotare oportebit.

*Obligatio
quotuplex
sit.*

§. VII.

Obligatio interna, qualitas moralis mihi esse videtur, qua quis ob utilitatem, vel jacturam cum natura rerum, ex decreto Dei T. O. M. coherentem, præstare aliquid, aut pati doles exten-

tionis interne intencur. ponitur.

B

tenetur. Hanc enim obligationem ex sola rerum cognitione petere, statuereque actiones bonas vel malas, etiam si divinæ voluntatis suffragium nondum accesserit, periculotum est & remerarium. Equidem honestum licet tale semper sit, nostroque eximatur arbitrio, nexum tamen idem censeri debet cum voluntate creatoris, & inde apteque pendens. Eleganter Celeber. BARBEYRAC. in *not. ad Puffendorff. Jur. Nat. & Gent. lib. II. cap. 3. §. 19. n. 2.* *Les idées, ait, de l'honnête, détachées du rapport, qu'elles ont avec la volonté d'un Législateur suprême, auteur de nostre existence, protecteur du Genre humain, & de la société, ne sont autre chose que des belles chimères, ou tout au plus des principes steriles, des pures spéculations, incapables de fournir les fondemens d'une bonne morale, & de produire une solide vertu.* Atque id ipsum est quo recidit Philosophia Viri Celeberrimi, in GUNDLINGIAN. *Fascic. 33. cap. 3. §. 18.* quamvis dissentire se a BARBEYRACIO prius exposuisset: adeo ut magnopere verear, ne operam perdidit doctissimus Autor, in exaggerationem dubiorum infusam.

§. VIII.

*Obligatio-
tionis ex-
ternæ ra-
tio.*

Ab hac vero obligatione interna multum differt obligatio, quam *externam*, nominare moris est. Quod si enim actio suscipienda detrimentum aliis, qui vinculo societatis colligati nobiscum, atque impliciti sunt, importet, neque tamen propriæ salutis justa conservatio efficiendi necessitatem adferat, obligatio externa, & *contractata* quidem, verat, ne ejusmodi actionem in se quis admittat; Uti & vicissim vi obligationis externæ, quæ *acquisita* nominari solet, quilibet fidem ejus rei præstare debet, cujus se nexu alteri obligavit. Nimirum illa Dei T. O. M. & deinde cujusvis legitimi Imperantis voluntas esse dignoscitur,

scitur, singuli ut ne salus hominum intereat: ad quædam agenda: alia vero omittenda necessitate morali, uti ipsi tenerentur sic aliis obligati essent. Ita enim jure optimo petere cuius non tantum licet, ut socialis vitæ ratio hoc modo expediatur; verum etiam facultas concedita est, vim adhibendi, quæ periculo suo decedere malevolos ab instituto cogat, aut ad id prohibeat accedere. Unde etiam est, quod juris perpetuum correlatum obligatio, maxime externa, communiter designetur. Vid. Clariss. BARBEYRAC. in not. ad Puffend. Jur. Nat. & Gent. lib. 3. cap. 5. §. 1. n. 7. Quæ si diligenter expendantur, obligationem externam qualitatem moralem esse constat, *qua quis ob utilitatem vel jacturam, ab alieno arbitrio dependentem, pati aliquid, vel agere tenetur.*

§. IX.

Ordinis ratio nunc flagitat, ut ad alteram obligationis divisionem me convertam, quam scopo meo inservire, *obligationis in naturalem & civilem divisio.* supra §. VI. commemoravi. Atque id tanto magis erit necessarium, cum bipartito eandem distribuendam saltem esse censuerim, cujus interpretes tria membra, adjiciendo scil. obligationi naturali, & civili, aliam, quam mixtam appellant, communiter alias constituunt. Sic vero censeo, obligationem *naturalem* notabili nimis discrimine ab ea separari, quæ civilis est, quam ut prætermitti debeat; sed *civilem* obligationem, uti omnes, quæ a lege positiva auctoritatem mutuantur, species complectitur, ita *mixtam* quoque circumscriptione sua concludere. Quæ ratione civilis obligatio, in civilem, & mixtam quidem dividi, sicque mixta obligatio civili subiecti, atar minime eadem, ceu genus diversum, opponi poterit. Quam ut conjecturam aliorum divinationi præponerem, tum *divulgato* Jstorum auctoritate persuaderi, tum ipsa rei ratione flagitari,

gitari, credidi. Certe Jcti veteres naturalis & civilis obligationis semper, mixtæ vero eo, quo id existimatur, sensu mentionem fecerunt nunquam, vid. ULPIAN. l. 8. §. 3. *D. de fidejuss.* PAPIN. l. 95. §. 4. *D. de solut.* Imo illi in specie obligationi, quam DD. mixtam appellant, legis civilis elogium tribuit ULPIAN. l. 7. §. 2. *D. de pact.* Quæ nec ipse diffiteri potest, qui obligationis mixtæ alioquin propugnator est acerrimus, LAUTERB. *Colleg Theor. Pract. tit. de Oblig. & Act.* §. 4. *in f.* Porro rationi, aut, si mavis, analogiæ rei oppositionem obligationis mixtæ minus convenire, ideo mihi est persuasissimum, quod sola persequendi in judicio facultas id, quod sibi deberur, obligationem mixtam a naturali separet. Vid. *pr. Inst. de oblig. junct. pr. Inst. de act.* Conf. PUFFEND. *Jur. Nat. & Gent. lib. III. cap. 4. §. 6.* Enim vero hoc ipsum est, quod obligationum civilium genus constituit. DIOCLET. & MAXIM. l. 13. *C. de contrah. empt.* Denique cum obligatio civilis illa statuenda sit, quæ ex jure civili oritur, obligationem mixtam civilis esse filiam, absque difficultate cognoscitur. Jus civile enim non sanctionibus tantum cuicunque Reip. propriis nititur, sed collectum quoque ex naturalibus, aut gentium præceptis, normam civibus præpositam repræsentat. §. *fin. Inst. de justit. & jur.* Id quod liquido confirmat ULPIAN. *in l. 6. pr. D. eod.* Unde accommodate ad veritatem M. TULLIUS, *Topic. cap. 2. Jus civile*, ait, *est equitas constituta iis, qui ejusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas, & paulo post, Cap. 5. quod in legibus, Senatusconsultis, rebus judicatis, juris peritorum autoritate, edictis Magistratuum, more, equitate consistit.*

§. X.

Obligatio

Proposita hoc modo sententiæ meæ defensione, indagare

gare non erit inconcinnum, quemadmodum *obligationi interna* distinctio in naturalem & civilem conveniat. Neque vero asserere dubito, quin obligationis hujus illa sit perfectio, ut libertati agentis frænum injiciat, ejusque conscientiam constringat valide: sic ut encomium *obligationis naturalis* eidem quoque debeat. Cum enim Jus Naturale pleniore sensu positum fundamenta sistat actionum moralium firmissima, & intra ambitum istius disciplinæ præcepta honesti & decori, non minus ac justî contineantur, vinculum obligationis ad illa quoque extenditur. Itaque quamvis licet in omnium cadat intelligentiam, neminem obligari sibi posse, uti nec injuriam inferre; tamen cum præstitutus sit a Creatore Sapientissimo rerum omnium modus, quarum quædam, etsi pacem externam non valide promovent, decus tamen vitæ socialis exhibeant, aut pacem internam agentis, quod bonum est eminens, constituant, firmentque, obligatio simul fuit homini imposita, ut quæ ita comparatæ sunt actiones, eas exequatur: easque contra omitat, quæ finem habent oppositum: nisi, cum summa Numinis indignatione, damni naturalis telis expositus circulos rerum naturalium, voluntatisque Divinæ decreta turbare maluerit. Vid. PUFFENDORFF. *Jur. N. & Gent. lib. 3. cap. 4. §. 6.* Quo intuitu homo sibi ipsi etiam obligari, sibi que legem ponere recte dicitur, veluti ex professo docuit B. THOMAS. *Fundam. Jur. Nat. & Gent. lib. 1. cap. 5. §. 18.* Conf. PUFFENDORFF. *d. l. lib. 2. cap. 4. §. 16.* Neque metuendum est, ne imperfecta hæc sit, ac debilis obligationis species: quandoquidem obligatio quælibet in se considerata, & absque relatione ad jus exigendi alterius, perfecta est, atque interna tanto adhuc magis, quod majorem hominis perfectionem prosequatur. Vid. *Observat.*

*interna,
an naturaliter
obliget.*

*obliget
obliget
obliget
obliget*

Hallens. Tom. IV. Observ. 27. §. 10. pag. 264. Et quamvis obligatio interna, absque Legis civilis auxilio, in foro externo esset inefficax, ita ut pudori ejus, qui obligatur, præstatio relinquatur, id tamen de validitate ejusdem derogat omnino nihil. Norma quippe actionum moralium a Deo condita obligationem continuo quidem producit, licet non ubique jus repræsentandi malum arbitrarium adjiciat, cum metus damni naturalis præcepta honesti ac decori munire satis videatur, idemque metus necessitatem moralem inferat. B. THOMAS. d. l. §. 19. & seqq. *Et multis casibus evenit, ut obligatio sit in nobis, & nullum jus in alio: sicut in debito misericordia & gratia reponende apparet, quibus simile est debitum constantiæ, sive fidelitatis,* docente ita GROTIUS, lib. II. de Jur. Bell. & Pac. cap. XI. §. 3. Neque valet argumentum quod obligatio nulla in jure civili esse dicatur, quæ non adstringit necessitate contrahentes, l. 13. C. de contrah. emr. quia diversa juris naturalis in latiore sensu accepti, ac civilis existimari debet ratio.

Obligatio
interna
quomodo
fiat exter-
na.

§. XI. Sed neque verum id est in universum, quod obligationi internæ nulla insit validitas, quæ externis jure Naturali fortiatur effectus, quandoquidem tale eidem accedere robur potest, ut imaginem obligationis externæ induat. Etenim obligatio internæ conscientiæ inhærens, licet alteri jus minime tribuat, exigendi id, quod ex eadem debetur, prohibet tamen, ne id, quod ex hujusmodi obligatione sponte solitum est, solvens repetat. Vid. SCHILTER. *Prax. Jur. Rom. Exercit. 27. §. 66.* Nimirum cum rei suæ in alium possessionem, animo internæ suæ obligationi satisfaciendi, quis transtulerit, se a jure omni, prius in rem istam competente, voluntarie abdicavit, sicque

que vindicare sibi eandem deinde minime debet. Vid. B. COCCEJ. *differt. de jur. circ. act. imperfect.* cap. 3. §. 23. BARBAYRAC. *in not. ad Puffend. jur. Nat. & Gent. lib. 3. cap. 4. §. 5. num. 3.* Ex adverso vero, qui ex alterius voluntaria oblatione rem accepit, eandem, limitibus justæ defensionis servatis, defendere ut suam poterit, cum per injuriam dantis impetatur. PUFFEND. *alleg. l. §. 2.* Quare mirari oportet, cur GROTIUS, *de jur. Bell. & Pac. lib. II. cap. 14. §. 6.* obligationem per abusionem dici existimaverit, *de eo, quod fieri natura bonum est, quamquam non vere debitum:* nisi hæc forte viri summi fuerit sententia, quod obligatio ejusmodi, quæ in jure naturali verum debitum efficit, secundum tradita ejusdem, *d. lib. 2. cap. XI. §. 3.* in legibus civilibus quasi debitum tantum esse existimetur, nec aliud assumat firmamentum, quam quod Legislatorum indulgentia peculiariter eidem adjicitur. Conf. HAHN. *ad WESENB. tit. de oblig. & act. n. 5.*

§. XII.

Hæc vero omnia forsitan in dubium vocabuntur minus, quam quod obligationi internæ autoritatem legum civilium accedere nonnunquam, ita ut obligatio interna etiam civilis appellari queat, prius affirmaverim. Neque tamen vana quædam atque inania falsâ spe inductus polliceri mihi videor, cum id paradoxum demonstrari quoque posse dixerò. Equidem si VOETIO *in comment. ad Dig. Tom. II. tit. de oblig. & act. §. 3.* fides adhibetur, obligatio naturalis minus plena solo pudoris vinculo continetur, nec alios effectus producit, *eo quod, veluti opinatur, gratitudinis, misericordiæ, benignitatis officia non tam legibus imponi, aut præscribi potuerunt, quam potius pudore, ac verecundiæ eorum, a quibus proficiuntur, contineri.* At enim vero nimis addicti erant Stoicæ Philosophiæ Jcti, quam

Obligat
tionis in
ternæ ef
fectus in
foro civi
li.

ut

ut tam exigue de validitate obligationis internæ, veræ tamen, existimarent. Sane ULPIANUS in l. 10. D. de just. & jur. ad juris præcepta, honeste vivere, referre non dubitavit. Stoicis vero, M. TULLIO, lib. 2. de fin. teste, finis est consentire naturæ, quod esse volumus e virtute, id est honeste vivere. Immo idem ULPIANUS in l. 25. §. 11. D. de hered. petit. non minus liberalem de obligationis internæ vi fovit sententiam: quandoquidem ad remunerandum naturaliter obligatos asseruit, quos obligationis internæ nexu saltem teneri, nemo fortassis dubitat. Qua ratione elegantissime PAPHIN. in l. 15. D. de condit. instit. *Que facta, ait, ledunt pietatem, existimationem, reverentiam nostram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores sunt, nec facere non posse credendum est.* Neque generalia quædam theoremata JCTorum tantum adsunt, quorum pondere major efficacia obligationi internæ a norma honesti & decori productæ concilietur: siquidem peculiariter aliquando auctorumentum legis civilis eidem accessit. Nolo multis ostendere, quæ id ratione fieri in universum queat, cum regulæ honestatis ac decori speciales utiliter jure positivo determinentur, ne ratiocinii variantis difficultate cives nubem pro Junone, complectantur. Vid. B. THOMAS: *fund. jur. nat. & gent. lib. 1. cap. 8. §. 54. & seqq.* ID. *dissert. de Statuum Imp. potest. legislat. §. 33. 34.* Sed ipsis rerum argumentis confirmare dictorum veritatem magis juvabit. Refert ÆRODIUS *rer. judicat. lib. 6. tit. 8. cap. 7.* Sarapionem athletam, quod pridie, quam Pancratium committeretur, certamen deseruerit, & propterea *timiditatis*, non aliter ac in re militari damnatus, equè multa Jovi signum consecratum sit. Et ID. d. l. cap. 18. Virum Atheniensem quemvis sibi deligere consuevisse adolescentem, quem amasium vocabat, ut eum infor-

informaret, erudiret, cum retulisset, subjungit: Amasio, si deliquerit, fuisse veniam datam, sed amatorem, quasi non recte educaverit, punitum: Immo civem optimum alioquin, strenuumque propterea etiam condemnatum, quod neminem elegisset, quem amaret. Unde poena *neglectorum beneficiorum*, lege civili introducta, utique eruitur. Eodem modo Athenis animadversio in *Orium* frequentabatur, legibus Draconis quidem capitalis, postea, quæ infamiae notam inureret. Vid. MEURS. *Them. Att. lib. 2. cap. 18.* Pariter *Ingratitudinem* coerceri, apud Græcos fuisse rem usu comprobata, persuadere multis contendit BOECLER. *Dissert. de actione ingrati*, quam commentario Grotiano addidit. Cujus vestigia expressit inter alios SE-NECA, *controvers. lib. 4. contror. 24. & epit. declamat. lib. 9. cap. 1.* Sed in foro Romano quoque ea, quæ obligationis internæ virtute prius imperabantur saltem, deinde legislatores adstricta magis necessitate à civibus exegerunt. Hinc, cum *gratiæ retributio* vi congenita obligationis internæ speciem referat, Romani in liberto eandem adeo judicaverunt necessariam, ut ingratum erga dominum probatum, atrocitate sententiæ servituti rursus manciperent. Vid. JUSTIN. §. 1. *Inst. de cap. diminut.* Præterea quoque in omnibus, qui beneficii accepti debitores sunt, ingrati crimen tam grave & intolerabile æstimarunt iidem, ut JUSTIN. IMP. in *l. 10. C. de revoc. donat.* generaliter sancire haud dubitaverit, ut donationis acceptor beneficio excideret, si donator ingrati crimen in judicio dilucidis argumentis cognitionaliter approbandum allegaverit, *ne sit cuiquam licentia, & alienas res capere, & frugalitatem irridere donatoris, & ipsum iterum donatorem, suasque res perdere, & præfatis malis ab ingrato donationis acceptore affici.* Et quamvis in aliis civium officiis, quæ honestatis

Romanorum

C

regulis

regulis determinantur, Judicis officium quiescere, nec eadem invitis extorqueri voluerint, cum *si appello. si ad judicem voco, incipiat non beneficium esse, & cum res honesta sit, referre gratiam, desinat honesta esse, si necessaria est,* veluti SENECA lib. 3. de benef. cap. 7. docuit: nihilominus tamen alios hujusmodi officiis adjectere effectus, ut necessarias reliquas præstationes imitarentur. Etenim si beneficii acceptor, ut id remuneraret, conscientiæ stimulis adductus, donatori gratiam retulerit, majorem etiam, quam is commoverisset, res donata jure perpetuo ad eundem transibat: adeo ut revocari, quasi propter obligationis civilis defectum, minime poterit. POMPON. in l. 52. D. de condict. indeb. PAUL. in l. 65. §. 2. D. cod. Atque non dissimili modo, cum quis beneficium spe remunerationis futuræ animatus dedit, re licet non secuta, quod datum fuerat, repetere nihilo magis poterat, utpotè quod *confiter, cum qui dedit ea spe, quod se ab eo, qui acceperit, remunerari existimaret, vel amiciosem sibi esse cum futurum, repetere non posse, opinione falsa deceptum,* quæ verba sunt ULPIANI in l. 3. §. 7. D. de condict. caus. dar. caus. non secus. Cujus rei rationem DIOCLET. & MAXIM. Impp. in l. 7. C. de condict. ob caus. dator. hanc esse statuunt, quod levitati, perfectam donationem revocare cupientium, jure occurratur. Quo etiam spectat, quod libertus, vi obligationis internæ patrono operas exhibiturus, eas deinde condicere nec in foro civili possit. ULPIAN. in l. 26. §. 12. D. de condict. indeb. Porro legis falcidiæ ratio, quia hæredi permittebat, ut quæ ultra dodrantem legata erant, sibi vendicaret, ad exfolvenda legata is cogi invitus minime poterat. PAUL. in l. 1. pr. D. ad leg. falcid. Neque id ob aliam constitutum fuit causam, quam ut plenior fides exhibeatur: id est obligationis internæ efficacia externa a Romanis

Romanis promovéretur, quippe quod expressa verba SE-
VERI, & ANTON. Imp. in *l. 1. c. ad Leg. Falc. & JU-
STIN.* in *l. ult. c. eod.* præcipiunt. Quare &, si quis ro-
gatus, præcepta certa quantitate, uxori suæ hæreditatem
restituere, eam sine deductione restituerit, quia *plenius
efficium fidei exsolvit*, eum id amplius impugnare non posse
tradidit ULPIAN. in *l. 5. §. 15. D. de donat. int. vir. &
uxor.* Ex quibus liquidissime constat, tantum obligationi
internæ Legislatores civiles nonnunquam tribuisse, ut ejus
causa aliquando agi, sæpius vero excipi posse, permiserint.
Quod nisi factum esset, quemadmodum nec is qui obliga-
tus interne erat, conveniri in foro potuisset; ita neque is,
cui obligationis internæ nexu alter erat obstrictus, exci-
piendi habuisset facultatem, ut id, quod titulo juris effica-
cis detinebat, datore reluctantante retineret. Vid. §. VII. h. cap.
Add. MULLER. *ad Struv. Exercit. 46. th. 54. lit. a.*

§. XIII.

Etiam si vero tanta sit obligationis internæ validitas,
nemo tamen inficiabitur, longe majorem obligationis ex-
ternæ esse efficaciam, sive nativam ejusdem vim, sive ci-
vile supplementum respiciamus. Nimirum, ut de *natu-
rali obligationis externæ* indole principium ducatur, supra
§. VII. indicavi modo, eandem non tantum inferre ne-
cessitatem, ut illi convenienter actiones morales insti-
tuat; sed & aliis vicissim jus largiri, ut res ad se pertinen-
tes, cum violenta licet infaustis repulsa, defendere, ea-
que, quæ ex conventionione promissioneque debentur, per
vim, nisi ultro exhibeantur, extorquere possint. PUF-
FEND. *jur. nat. & gent. lib. 3. cap. 4. §. 6.* Proinde venuste
admôdum Ampliff. van der MUELEN, *comment. ad Grot.
jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 14. §. 6.* In statu naturali, ait,
ubi omnes sibi æquales jure & conditione, quamvis obligatio-

Obligatio
externa
naturalis
exponitur.

lib. 3. cap. 4. §. 6.

num cause & fontes, pro natura diversorum contractuum, e quibus dimanant, discrepent, eadem contrahentibus incumbit necessitas prestandi & adimplendi contractus, & conventiones, tum etiam par facultas persequendi jus suum, illudque obtinendi iis mediis, quæ cuique sua adhibenda dicitur ratio. Neque igitur HOBBSII divinatio veritate nititur, qui dictamina rationis nomen quidem obtinuisse legum, sed improprie dictarum, & de iis rebus, quæ ad conservationem hominum conducunt, esse tantum theorematam, persuadere contendit. *De civil. & eccles. potest. cap. 15. pag. m. 79.* Add. *ID. de civ. cap. 3. §. ult.* Potius enim vero est consentaneum, quod, quemadmodum ante conventionem inter homines initam, aut imperia constituta, obligatio principis iusti conveniens a DEO OMNIPOTENTI imposta hominibus fuit; sic non tantum eadem conscientias hominum constringat: vid. PUFFEND. *jur. nat. & gent. lib. VIII. cap. 1. §. 5.* verum etiam eis, qui rem absque aliorum injuria possident, eamque, vel suam suorumque libertatem tuentur, jus adversus invasorem largiatur, & in universum creditori seu stipulatori jus exigendi, exequendique tribuat. HUBER. *de jur. civit. sect. 3. cap. 5. n. 72.* Quo sensu obligatio naturalis externa illa est obligationis species, quæ jus exigendi quid ab aliis, vti legis naturalis, tribuit.

§. XIV.

Ab ea differt civilis, quæ præcipua est.

Enimvero, cum homines tum metu inducti, tum necessitate coacti ex compage illa laxiore societatis humanæ ad cœtus civiles transierint, alia rursus obligationis causa esse cœpit. Etenim, qui negotiorum civilium sunt moderatores, leges eisdem præstituerunt, reipublicæ scopo respondentes, quæ, cum ob diversitatem finis diversissimæ esse debeant, obligationis quoque non aliam non exprimere

exprimere possunt faciem, scil. quæ à legis norma derivatur. Vid. §. V. h. cap. Hoc quippe est, quod ARISTOT. *lib. V. Ethic. cap. 3.* olim tradidit, leges præcipi de rebus civium omnibus, quodque recte ex eo docuit B. HERT. *elem. prud. civil. part. 1. sect. 7. §. 13.* Qua ratione Principi jus conceditur, tam obligationem civium naturalem speciatim determinandi, eique effectus civiles, & coactionem manu potestatis legitimæ dispensandam adjiciendi; quam etiam effectus istos limitandi, vicissim vero actiones, naturæ nexu haud obligatas, sanctione addita firmandi, subditisque necessitatem adferendi, uti ad hanc cynosuram actiones dirigerent. Vid. BEYER. *delin. jur. civil. secund. Pandect. tit. de just. & jur.* Neque enim verum est, aliter jus civile ferri non posse, nisi cujus causa jam in lege naturali obligationem vel internam, vel externam producente lateat, quod MOLINA *de just. & jur. disp. 263. num. 12. part. 2. pag. 47.* asseruit. Et multo probabiliora sunt eorum argumenta, qui pro defendenda Legislatorum civilium auctoritate libera, militant. BACHOV. *comment. ad Dig. disc. prelim. de jure n. 9. & 10.* Unde summa in reip. potestas, quemadmodum actiones civium voluntarias norma præscripta constringere, ac media adinvenire potest, fini reip. obtinendo accommodata; ita id cavere saltem debet, ne jus præscriptum a lege naturali præcipiente, aut vetante abhorreat penitus. Merito GROTIUS *de jur. bell. & pac. lib. II. cap. 2. §. 5.* *Lex civilis, inquit, quanquam nihil potest præcipere, quod jus natura prohibet, aut prohibere, quod præcipit, potest tamen libertatem naturalem circumscribere, & vetare, quod naturaliter licebat, atque etiam ipsum dominium naturaliter acquirendum, vi sua antevertere.* Ita enim FLORENTINUS in *l. 3. D. de just. & jur.* & ANASTAS. Imp. in *l. ult. C. de injust. nupt.* potestatem & jura legum

legum, civilium pariter desinivere.

*Obligatio
civilis na-
turalem
sepe enervat.*

Intra hos autem cancellos, cum constringi summa potestas auctoritatem suam pati voluerit, minime erit ambigendum, quin, quod Principi placuit, id custodiri inter cives, tanquam lex sacratissima, debeat. Ex ipsis vero rerum argumentis abunde constat, diversissimam obligationis in statu civili redditam propterea fuisse conditionem. Quis enim nescit, Legislatoribus civilibus id sæpe placuisse institutum, ut obligationi naturali coactionem, quacum in statu hominum naturali erat conjuncta, adimerent. Certe de Scribis STRABO *lib. XV.* restatur, quod jus apud eos non redderetur, nisi de cæde & contumelia, & *cod. l. de Indis* commemorat, nec mandati, nec depositi actionem eos habere, nec testes adhibere, aut sigilla, sed simpliciter credere. Conf. BARBEYRAC. in *not. ad Puffend. Jur. Nat. & Gent. lib. 5. cap. 2. §. 3. v. 1.* Atque, ne aliorum populorum consilia adducendo, Politicorum serinia compilem, Romanorum jure id comprobatur luculentissime. Quid enim notius, quam intercessionem mulierum, secundum legis naturalis dispositionem utique obligatoriam, lege civili inefficacem fuisse redditam, quemadmodum præter alios ostendit JULIAN. in *l. 16. D. ad Sc. Vellejan. inf.* ubi deficientis obligationis mulierum causam in eo collocat, *quia totam obligationem Senatus improbarvit.* Quare, sive errore juris, sive facti mulier solvisset, eidem condictioni indebiti, ac si nulla præcessisset ejus obligatio, indulgebatur. MARCIAN. *l. 40. D. de condict. indeb.* HERT. *opusc. vol. 1. tom. 3. diss. de condict. indeb. civil. debit. natural. §. 5.* Quæ etiam causa est, quamobrem fidejussores, licet regressum contra mulierem non haberent, liberentur. ULPIAN. in *l. 8. §. 4. D. ad Sc. Vellej.* Pariter pupillus

pupillus naturaliter obligatus quidem est, si rei gerendæ cognitionem habuerit sufficientem. Vid. HERT. *alleg. l.* Sed de hoc leges civiles diserte statuunt, quod sine tutoris autoritate solvit, id nec natura debeat, NERAT, in *l. 41. D. de condic. indeb.* Quare etiam id quod solutum est, repeti tanquam indebitum potest. GAJUS, in *l. 28. pr. D. de pact.* LICIN. in *l. 39. D. de oblig. & act.* Quale jus etiam in minoribus curatorem habentibus quoque observatur, *L. 3. C. de in integr. rest. junct. l. 6. D. de verb. oblig. uti & prodigis. Arg. d. l. 6. junct. l. 10. §. 3. D. de fidejuss.* Quod quia exploratum optime habuit GROTIUS, apposite ad rem ait: *Hi effectus proprii sunt legis civilis, ac proinde cum jure natura ac gentium nihil habent commune, nisi quod quibus locis obtinent, ibi etiam eas servari naturale est.* Atque ejusdem etiam conditionis esse censetur donatio inter conjuges facta, ULPIAN. *l. 3. §. 10. D. de donat. inter vir. & ux.* Uti & obligatio filii familias & servi, quippe qui facultate se obligandi destituuntur. JUSTIN. *§. 6. Inst. de inutil. stipul.* GAJUS, *l. 28. §. 2. D. de pact.* De quibus tamen & aliis fortassis huc pertinentibus speciebus multa congerere, non vacat. Conf. FROMMAN. *de oblig. natur. per tot. PUFFENDORFF. jur. nat. & gent. lib. 3. cap. 7. §. 11. in f.*

§. XVI.

Etiam si autem Legislatorum providentia obligationis naturalis efficacia externa hoc modo nonnunquam restringatur, id tamen non ideo factum esse observatur, ut omnis fidei auctoritas inter cives pereat. Potius enim verum est, per leges civiles fidei, ac obligationis naturalis firmitatem stabiliri omnium optime. Quod, ut intelligatur, quemadmodum fiat, partes obligationis civilis ut indagentur constituenturque, necessarium est. Hujus autem

Obligatio civilis quotuplex sit.

tem divisionis quamvis alii aliter constituere membra confueverint, ex eis tamen, quæ §. IX. *b. cap.* adduxi, perspicuum reddi cenfeo, genus obligationis civilis latius esse, quam id vulgo exhiberi soleat, atque cum primis distinctionem in *mere civilem*, & *mixtam* admittere.

§. XVII. *Per obligationem mere civilem, illam intelligi velim speciem, quæ, citra juris Naturalis æquitatem, a Legislatoribus animo populari, & saluti civium consulente, sancita fuit.* Quippe Romani tantam adversus jura condita adhibere reverentiam, ut licet apicibus ejus derogaret æquitas, non jus tollerent, sed executionem ejus, id est, vel exceptionem, aut conditionem tanquam iniquis vinculis constricto indulgerent. Atque hoc modo contingit, ut, quod jure civili debebatur, exceptio juris prætorii, tanquam non debitum, elideret. ULPIAN. in *l. 3. §. 1. D. de constit. pecun.* Unde ANTONIN. Imp. in *l. 5. C. de pact.* haud ineleganter debitorem parte soluta, reliqua vero parte remissa, ab *obligatione partim civili jure, partim honorario*, liberari testatus est. Add. ULPIAN. in *l. 36. D. de verb. oblig.* PAUL. *l. 1. §. 1. D. de dol. mal. & met. except.* JUSTIN. §. 1. & 2. *Inst. de except.* Hæcque est obligatio, cujus indolem, & effectus examinat LAUTERB. *coll. theor. pract. tit. de oblig. & act. ib. 9. 10. & 11.* Conf. THOLOS. *Synt agm. jur. lib. 21. cap. 3. n. 8.* Neque tamen fines obligationis istius mere civilis adeo extendi crediderim, ut, cum schola DD. communi, etiam eo referendæ sint obligationis species, quibus *nova debendi causa* accessit, veluti quæ ex causa judicari, jurisjurandi, transactionis, &c. oriuntur. Etiam si enim illis nulla prius obligandi causa adfuisset, causa tamen accedens, non solam civilem, sed & naturalem rationem continere videtur, ideoque obligatio

ligatio civilis mixta potius conspiciendam se sub istis speciebus præbet. Celeberr. BOHMER. *introd. in jus Pandect. tit. de oblig. & act. n. 6.* VOET. *Comment. ad Digest. vol. 11. cod. tit. n. 2.*

§. XVIII.

Ut vero, quod postremum est, *obligationis civilis mixta* Obligatio indoles, manifestetur amplius, notare oportet, illam in *tionis ci-* genere quidem describi, quæ *ex lege naturali & civili fit* *vilis mix-* *composita.* Enimvero, quia legis civilis beneficio obligatio- *te effectus* nes naturales non ita semper adjuvantur, ut actionis in foro *varii.* instituendæ facultatem habeat, cui ex ejusmodi obligatione jus quæsitum est, eas, quæ actionem producunt, separare ab illis conveniet, quibus alios effectus lex civilis addidit.

§. XIX.

Obligationis, quæ *actionem civilem* parit, genuina est *Obligatio* definitio, quam JUSTIN. *Imp. pr. Inst. de oblig.* elementis *mixta* suæ jurisprudentiæ inseruit, qua de re §. V. *in fin. b. cap. actionem* differui. Hæc nimirum est mater actionum, quo titulo *parit.* lo eandem exornat LAUTERB. *Colleg. theoret. pract. tit. de oblig. & act. lib. 14.*, quæ naturali sustentata æquitate, & firmata juris civilis auctoritate, efficacissimam jure civili actionis formam exhibet, jusque persequendi concedit. *pr. Inst. de act. VINN. Comment. ad rubr. tit. Inst. de obligat. n. 10.* Cum vero de obligationis hujus speciebus, quæ sparsim toto jurisprudentiæ ambitu contentæ sunt, non aliter quam compendio, & quasi per indicem agere mihi liceat, monuisse sufficiet, quod mixta obligatio primo quidem vel civilis sit in specie, ex legibus, aut alia juris civilis parte descendens; vel prætorica, quam Prætor ex sua jurisdictione introduxit; §. 1. *Inst. de oblig. atque in super vel immediate nascatur ex lege, vid. ULPIAN. in l. s. D. de agnosc. vel alend. lib. JUSTIN. in l.*

D

fin.

fin. C. de dot. promif. MODESTIN. in *l. 52. §. 5. D. de oblig. & act.* vel mediate ex facto obligatorio licito, pollicitatione, vel conventionem, sicque ex contractu, vel quasi contractu; vel facto illicito, uti delicto, vel quasi delicto: §. 2. *Inst. eod.* & GAJUS, in *l. 1. D. de obligat. & act.* vel proprio quodam jure, ex aliis causarum figuris: *allegg. lxxi.* quo pacta legitima, atque prætoria, eaque, quæ contractui bonæ fidei adjiciuntur in continenti, referre, sicque obligationis civilis mixtæ species, in generaliora distributas membra, percentere DD. consueverunt. Vid. BACHOV. *de act. dist. r. 1b. 20.* B. LUDOVICI, *doctrin. Pandect. tit. de oblig. & act. §. 3.*

*Aliquan-
do alios
habet ef-
fectus.*

At obligationi naturali externæ actionis adversus eum, qui naturaliter obligatus est, instituendæ facultatem, non statim nasci, sed aliquando deesse, res ipsa docet: licet firmitatem negotii leges civiles non improbaverint. Ita enim retinendi jus, & ejus asserendi causa exceptionum Legislatores Romani frequenter ad obligationem naturalem retulerunt. Quo pertinet eximium PAULI in *l. 10. D. de oblig. & act.* testimonium. *Naturales, ait, obligationes non eo solo astimantur, si actio aliqua earum nomine competat, verum etiam eo, si soluta pecunia repeti non possit.* Atque hoc modo, si servus contraxerit, quamvis conveniri ipse nequeat; vid. §. XV. *h. cap.* attamen & alius pro eo valide solvit, & ipse deinde manumissus, ex peculio sibi permisso, se a nexu debiti liberat, conditione indebiti profusus cessante. PAUL. in *l. 13. D. de condict. indeb.* Non absimili ratione, qui se nudæ pactionis simulachro alteri obligavit, ab actione immunis quidem est, sed periculo simul expositus, ut ne alter id, quod jure etiam optimo petere alias potuisset, exceptio-

exceptione opposita retineat. *ULPIAN. l. 7. §. 4. D. de pact.* *ALEXAND. Imp. in l. 10. C. de pact.* *DIOCLET. & MAXIM. l. 21. C. eod.* Cujusmodi retentio cum exceptione quoque conceditur, si pacto remissorio prioris debiti causa delata fuerit. *PAUL. l. 27. §. 2. D. de pact.* Nam dato a Prætoribus super actione iudice, hic reo imponebat quidem litis contestationem, sed in iudicando exceptionis vicissim habebat rationem. *VULTEJ. lib. 2. de iudic. cap. 7. n. 90. & seq.* *FELTMANN. Comment. ad l. 27. §. 2. D. de pact. n. 4.* Add. *RÆUARD. lib. 2. var. c. 6.* Ex quibus intelligi sine difficultate jam potest, quæ fuerit *PAULI* sententia, cum in *l. 112. D. de Reg. Jur.* Nihil inter esse, dixerit, ipso iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur. Sicuti vero excipiendi facultas ex obligatione civili mixta descendit, ita pariter compensatio ejus, quod ut recte peccatur, obligatio naturalis impedit, lege admittitur, sicque alius adhuc obligationis civilis effectus constituitur. Neque enim compensandi licentia in foro civili quis uti possit, nisi eadem lege civili prius data fuisset. Unde explicite *ULPIAN.* in *l. 6. D. de compens.* Etiam, inquit, quod natura debetur, venit in compensationem. Præterea etiam legis civilis providentia id continetur, ut cum id, quod vi obligationis naturalis debebatur, pignore adjecto, munitum fuisset, jus creditoris civile quoque introducatur, quoniam ex quibus casibus naturalis obligatio consistit, pignus perseverare constitit, uti *ULPIAN. l. 14. §. 1. D. de pign. & hypoth.* scripsit. Quod non minus lege jubente efficitur, cum fidejussor obligationi accesserit, quippe qui adhiberi potest, dummodo sit aliqua vel naturalis futura obligatio. *ULP.* in *l. 6. §. 2. D. de fidejuss.* Atque, ut ne subjungam obligationi naturali constitutum adjici posse, cujus causa Prætor ex consensu facta custodire debeat, affirmo

mante hoc ULP. l. 1. pr. & §. 7. D. de constitut. pecun. id denique explorati juris est, debitum naturale, novatione interposita, civile reddi, obligationemque civilem constitui. ULP. in l. 1. §. 1. & l. 2. D. de novat. & deleg.

§. XXI.

Pollicitatio unde? Confecto hoc modo per sinuosos obligationis anfractus itinere, *pollicitatio* ut propius consideretur, necessum est. *Pollicitationis* vocabulum in Latio natum esse videtur, quamvis circa novationem ejusdem scriptores mirifice dissentiant. Equidem id largiuntur fere omnes, vocabulum compositum esse, ejusque partem postremam a verbo *liceor* suam deducere originem. Certe *liceor* verbum est auctionis, ubi res venalis dicitur licere, ideo quod jus sit, emendi vendendique eam cuilibet, qui plus obtulerit. Quo modo PLAUT. *Trich. Act. 1. Scen. 3.*

Logos ridiculos vendo, agite, licemini

Atque ita liceri speciatim is dicitur, qui pro re vendenda pecuniam offert, sed in genere qui promissum facit, sicque pollicetur. Enim vero, quo prioris particulæ etymon referatur, plures ambigue exponunt. JOH. STRAU-CHIUS, Philologus non minus, quam JCRUS doctissimus, *Dissert. ad jus Justin. 12. §. 4.* pollicitationem inde dictam esse opinatur, quod in auctionibus qui post licitabantur, plurimum offerrent, cum qui polliciti fuerint liberalissime quoque offerant. Vid. CIC. ad ATTIC. *lib. 5. Epist. 13. ID. Orat. pro Domo, cap. 11.* Sed permutatio illa literarum durior esse videtur, quam ut admitti ad probandum debeat. Aliam ingreditur viam ALCIATUS, *Parerg. jur. lib. 1. Cap. 1.* ubi inquit: *Polliceri quis dicitur, quia liceri potest: sicut & possidere dicitur, quia potest sedes ponere, & polluere, qui potest lavare, quia inquinat.* At non multos, credo, comprobatores lubrica ista via inveniet, licet

omni

omni parte consumatissimum, & qui JCros latine loqui posse demonstravit, **ALCIATUM** jure celebret **CA-TELL. COTT. de jurispr. in fin.** Quippe ad ea semper argumenta respicere oportet, quibus lux veritatis potius adfuit. **ARCAD. l. 12. in f. D. de test.** Jam vero **TURNEBUS, Adversar. lib. 28. cap. 31. in fin.** ac **VOSSIUS Etymolog. verb. Licent. Pollucere.** polliceri idem esse, ac perliceri, contendunt. Unde magna probabilitate conficitur, pollicitationem denotare perlicitationem. Sane *Per* præpositionem intendere significatum vocabulorum, verborumque, quibus adjicitur, res Grammaticis nota est. Itaque horum judicio *perlicitatio* primo dicta fuit promissio, quæ liberalior erat, cum proluxa asseveratio pollicitationis esse soleat comes. Atque mutando R. in L. ex perlicitatione pollicitatio exoriri facile potuit: quemadmodum *perlucere* deinde *pellucere*, & tandem conversione literarum nova, *pollucere*, dictum fuit. **VOSS. de liter. permutat.**

§. XXII.

Enimvero postremæ huic sententiæ etiam si calculum adjicere tuto liceat, periculum tamen facere volui, annon probabilis alia nominis ratio ex antiquitatis penu adferri queat, quam memorati jam scriptores prætermisere. Apposite enim ad rem **LUCILIO** suo **SENECA** scribit *Epist. 64. Multum adhuc restat operis, multumque restabit: nec ulli nato post mille secula præcludetur occasio, aliquid adhuc adjiciendi.* Itaque, origine pollicitationis curiosius investigata, subito in mentem venit, eandem in licitatione pollice facta latitare. Utrique negari nequit, antiquitas in pollice favoris studiique substituisse significationem eximiam. Vid. **PLIN. Hist. natur. lib. 17. cap. 2.** Et quemadmodum pollicis usus ideo communis fuit, vulgarisque, sic

*Novum
etymon
eruitur.*

ad licitationem eundem fuisse translatum, prorsus verifimile est. In licitationis actu enim, qui se redemptores profitebantur digitum tollebant, veluti Junius in locatione Verris proposita fecit apud M. TULLIUM, in *Verr. cap. 54.* Idemque probat MANILIUS *Astron. lib. 5.*

*Non ullo careat digito, quaque ierit hasta,
Defueritque bonis scictor.*

Quare MARTIALIS etiam *lib. 5. epigr. 59.* dum suppellectilem suam in auctione mancupes invenisse, hospiti persuadere cupiebat, cecinit:

Nam mea (Suppellex) jam digitum sustulit hospitibus.

Vid. RADER. in *not. ibid.* Neque ambigendum est, quin ea, quæ digito vel manu conficiebantur, ad pollicem pertineant. Sane pollicis vocabulum integræ manus substituit STAT. *Theb. lib. 11. v. 401.*

*Opus ipsa novarat
Meoniis Argia modis, & pollice docto
Stamina purpurea sociaverat aurea tele.*

Pariter nota apud veteres locutio utroque pollice, pro officio manus utriusque accepta fuit. ERASM. in *Adag. Premere pollicem.* Add. MACROB. *lib. V. Saturnal. cap. 13.* Hoc igitur modo factum arbitror, ut elevatio digiti in licitatione adferberetur pollici, tanquam reliquos digitos vi sua & potestate superanti, & qui digito licebatur, is pollice liceri, sicque promittere censeretur. Quibus positis non ambiguum amplius erit dijudicare, unde sit deductum pollicitationis vocabulum. Cum enim geminatio syllabarum *lice* in verbo pollice liceri sublata fuisset, ut pressiori pronuntiandi sonus existeret, pollice licitatio deinde cum pollicitatione commutari debuit. Quæ vocis origo veri tanto magis est similis, quod vocibus compositis aliis nonnunquam pari modo per ellipsin quædam detrahantur. Ita

caprone

caprone comæ ante frontem, quasi a capite pronæ, teste
 NONIO. Cura quod cor urat. SERV. ad *Eneid.* 1. 212.
Mactus quasi magis acutus. SERV. ad *Eneid.* 4. 57. *Serra*
 quasi *secerra*, a *seco*. VOSS. de *liter. permur.* circa *fin.* Ut
 alia nunc præteream, quæ plena manu adduci possent,
 exempla. Itaque recte MARTIN. *Lexic. Philolog. verbo*
promitto. Quia, inquit, *promissa, ut videtur, manibus pol-*
licebantur homines, invaluit usus, ut promittere manus de-
inde deiractò vocabulo promittere simpliciter dicerent pro pol-
liceri. Quod si tamen adductæ prius notationes, hac mea
 potiores esse existimentur, alii ne sequantur, non dissua-
 deo, cum sufficiat mihi, ut si quod dico, nihil est, lusisse,
 ceu ait TULLIUS, puter.

§. XXIII.

Explorato nominis origine ordinis ratio postulat, ut, *Pollicita-*
 quid pollicitatio designet, proprie intelligatur. Hac au- *tio, quid*
 tem de re dici vix potest, quanta JCtorum dissensione *fit, dubi-*
 certetur. Cum enim alii ipsam pollicitationis causam ex *tatur.* *Illoq*
 juris naturalis prudentia definire contendant; alii ex ad-
 verso legum civilium decisionem sequuntur. Imo utrum-
 que tam dissimili perficitur ratione, ut, qui variatas in-
 terpretum sententias exquirat, hæreat anxius, nec singu-
 las audeat eligere, nec universas probare. Neque expedire
 se ex laqueis hinc injectis aliter licuerit, quam cum
 pollicitationis significatio, ex penetralibus jurisprudentiæ
 naturalis prius, deinde vero ex legum civilium ordine
 eruatur: quo de obligatione pollicitationis tanto luculen-
 tius formari queat iudicium.

§. XXIV.

Atque ut de pollicitationis sensu in jurisprudentia na- *Pollicita-*
 turali ducam auspicia, eam promissionis illam esse speciem *tionis de-*
 arbitror, quo quis sponte, & sine alterius interrogatione, se finitio, *quid*
 quid

secundam jus naturale. quid futurum, vel passurum pollicetur. Equidem GROTIUS, vir sine controversia maximus, lib. II. de Jur. Bell. & Pac. cap. XI. §. 6. num. 2. pollicitationis definitionem esse censet, cum voluntas se ipsam pro futuro tempore determinat, cum signo sufficiente ad indicandam perseverandi necessitatem. Atque eadem fere verba repetit, suaque facit PUFENDORF. Jur. Nat. & Gent. lib. 3. cap. 5. §. 6. nisi quod adjiciat, voluntatis declarationem illam, ad aliquid gratuito alteri praestandum, pollicitationi esse propriam. Sed quia utrinque supponitur, pollicitationi nunquam eam inesse vim, ut alteri inde jus petendi concedatur, exprimeret definitionem alterutrius verbis haud potui: maxime cum ostendendum deinde fuerit, pollicitationis naturæ non adeo repugnare, ut ad eum, ad quem alter pollicitationem direxit, jus quoque petendi transeat.

§. XXV.

Definitio pollicitationis ex jure civili.

Enimvero pollicitationis alia longe est ratio, eum ex latifundiis jurisprudentiæ Romanæ ea petatur. Eamque tanto magis exploratam habere oportet, quod varias promissionis species, inter se minime confundendas, complectatur. Etenim I. pollicitationis & contractus vocabula promiscue aliquando, ad designandam conventionem contrahentium obligatoriam, a JCTis adhibentur. Quia ratione FLORENTINUS, in l. 43. §. 1. D. de contrah. empr. de conditione contractus emptionis & venditionis verba facturus, quasdam pollicitationes venditorem non obligare, dixit. Similiter II. pollicitationis significatio sæpius eadem esse censetur, quæ pacti simplicis. Hæc enim est causa, quare JCTi pollicitationi adscribant, quæ pacto efficiuntur. Unde DIOCLET. & MAXIM. l. 5. C. de contrah. & committ. stipulat. nudam pollicitationem, eam appellarunt conventionem, quæ pactum continet. Sed III. peculiare negotium

gorium a JCTis pollicitationis nomine insignitur, quod tum a contractu, tum a pacto, ob diverſam, quam habet indolem, ſeparari debet. Ejus autem pollicitationis definitionem exhibet **ULPIANUS**, qui in *l. 3. pr. D. de pollicitis. Pollicitatio*, ait, *est offerentis ſolius promiſſum.*

§. XXVI.

Quod ſi autem in commode definienda pollicitatione interpretes laborent, multo magis adhuc lubrica via utuntur, dum determinare *obligationem pollicitationis* ſtatuunt: adeo certe, ut illa inſistere, aut ingredi ſine caſu aliquo, aut prolapſione vix quis poſſit. Quia vero id thema eſt, quod illuſtrandum ſuſcepi, aditi maximopere me debere animadverto, ut circumſpectans omnia, ne quid offendam, neque irruam, veram pollicitationis obligatoriæ notionem, ratione & intelligentia comprehenſam repræſentem. Atque hoc inſtitutum me nunquam felicius poſſe exequi conſido, quam ſi omnia quæ pollicitationis ſchema referre videntur, ſingulatim conſideraverim.

De obligatione pollicitationis ambigitur.

§. XXVII.

Pollicitatio cum promiſſionem offerentis inferat, ea vero variis concepta eſſe verbis, ideoque varia intentione facta eſſe poſſit, iſtam quoque in *indefinitam*, ſeu generalem, & *definitam*, ſeu ſpecialem diſpartire lubet. Indefinitam pollicitationem eam ſtatuo, *quæ generalibus verbis, & indefinite animum offerentis manifeſtat, ut ſciri ſtatim non poſſit, utrum aliquid, aut quid debeatur.* Enimvero hujusmodi pollicitationem obligationis vel internæ, vel externæ vi haud eſſe præditam, omnino ſentio. Itaque præſertim non debentur, quæ quis ſecum deliberavit, ut alii largiretur, quorum tamen nec modum, neque rationem alteri aperuit. Quo referendum erit Tiberii illud ad Sejanum, apud **TACIT.** *Annal. lib. IV. Ipſe quid intra animum*

Pollicitatio indefinita ambigit.

volutaverim, quibus adhuc necessitudinibus immiscere se mihi
parem, omniam ad præsens referre. Pariter quotiescun-
que quis cum Æolo, apud VIRGIL. lib. 1. *Æneid.* dixit:

Tuus, o Regina, quid opes,

Explorare labor, mihi jussa capessere fas est.

quia nihil protulit, quod ad certum quid redigi possit,
nihil egisse videtur. Imo, si quis se curaturum alteri quid
verbis indefinitis, ex gr. videbo: *Ich will sehen/dass ich*
es ihm schaffe/ pollicitus fuerit, eum nec propter normam
ab honestate præscriptam, seu interne obligari judicave-
rim. B. THOMAS. *de promiss. rei incert.* §. 23. Quamvis
enim ULPIANUS, in l. 67. §. 1. *D. verbor. oblig.* & CEL-
SUS, in l. ult. §. 1. *D. de reb. cred. junct.* §. 3. *Inst. de in-*
util. stipulat. omnem efficaciam hujusmodi promissioni-
bus adscribere deprehendantur, ea tamen veritatem sen-
tentiae allatae nequicquam imminunt, quippe quod JCo-
rum tradita ad solennes stipulationum formulas, & earum
interpretationem pleniorum sint transferenda. Quod ipsum
tamen haud obstat, quo minus promittens interne obligetur,
quoties indefinite licet, curaturum se tamen absolute
pollicitus sit, nihil autem profus præstiterit. THOMAS.
alleg. l. Deinde quoque pollicitatio, si adeo generalibus
verbis conclusa fuerit, ut promittens promissioni suae satis-
fecisse intelligatur, re vilissima etiam, & nullius pretii so-
luta, nullas pollicitationis effectus esse poterit. Cujus ar-
gumenti est, quod MARCELL. l. 94. *de verb. oblig.* re-
spondit: *Si cum destinare genus, & modum veller, non fe-*
cit, nihil stipulatus videtur. Igitur ne unum quidem modi-
um. Quare etiam, si quis definite rem pollicitus sit, aliis
indefinite adjectis, nulla est obligatio, nisi quatenus rem
promissam definite respiciat. Vid. ULP. in l. 1. §. 5. *D. de*
verb. oblig. Vid. HUBER. *prælect. ad Inst. tit. de legat.* §. 18.
quem-

quemadmodum porro *nulla promissio* (hic pollicitatio) *potest consistere, qua ex voluntate promittentis statum capit.*
 JAVOL. in l. 108. §. 1. D. de verb. oblig.

§. XXVIII.

Enimvero, etiamsi licet explorata satis fuerit promittentis sententia, & pollicitatio *definita*, vel specialis adfit; illico tamen necdum exinde nascitur obligatio. Sed examinari sollicitate prius debet, quis promissionis modus, quæque voluntiam suam testandi causa quis montes ac maria pollicetur, cui propterea vinculum injectum censere, inhumane fuerit. Sed potius verum censeretur, quod declarante promissore, per modum *nude assertionis*, quæ sua erga alium sit voluntas, is nulla necessitate adstringatur, in eadem perseverandi. *Habet enim animus humanus non tantum naturalem potentiam mutandi consilium, sed & jus, quemadmodum docet GROTIUS de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. XI. §. 2.* Neque valet a natura Dei, cujus dictum est immutabile, argumentum, quod in contrarium allegari posset: quandoquidem mutatio consilii infirmitas quidem est, sed homini sine scelere evenire potest, qui in statu rerum corrupto ex infirmitatibus compositus est. Conf. HUBER: *de jur. civit. lib. 2. sect. 6. cap. 3. n. 3.* Atque non est metuendum, ne obligatio si non externa, interna certe, afferenti necessitatem imponat, quam declaravit, voluntatem efficiendi. Etenim quæ de futuro verbotenus pronunciantur, propositum quidem involvunt, quod quis permanente ea, in qua est, voluntate, alteri velit aliquando obligari; sed obligationem ipsam nullatenus inferunt, nec necessitatem, quæ mutationem consilii prohibeat. MOLIN. *de just. & jur. tom. 2. disp. 262. num. 1. 6. 7. & 8.*
 Ad hujusmodi proposita vero, seu asserta *nuda*, quemad-

Assertum, an ad pollicitationem obligationem pertineat.

modum verba honoris non male referuntur, & curialis sermo, cujus nulla est obligatio: HERT. *opusc. vol. 1. tom. 3. paroen. jur. germ. lib. 1. paroen. 10.* ita ad eorundem classem testamentarias dispositiones, vana Autorum promissa, spem sponfalium injectam, aliaque retulit. B. THOMAS. *Jurispr. div. lib. 2. cap. 7. n. 10. & fundam. jur. nat. & gent. alleg. cap. n. 4. & seqq. Add. VASQU. controuv. illustr. lib. 1. cap. 10. num. 20.*

§. XXIX.

Quae sit tractatum obligatio.

Non absimili certe ratione oblationibus eorum, qui, dum contractum, aut negotium propositum conficere fatagunt, & perficendi istius causa, in tractatibus praeparatoriis quid pollicentur, obligationis tam internae, quam externae virtus jure denegatur. Quippe, quae praecedunt negotium constituendum, praefationes: quo nomine utitur PAUL. in *l. 134. §. 1. D. de verb. oblig.* non virtute sua actus perfecti sunt, sed media, quibus perfectum aliquod negotium obtineatur. Quamobrem non magis ulum juris effectum, aut obligationem, si negotii perfectio haud sequatur, operantur, quam si etiam plane non intercessissent: cum paria in jure recte esse censeantur, non esse, & imperfectum esse. ULP. *l. 1. §. 1. in f. D. quod quisqu. jur.* B. COCCEJ. *disp. de jur. circa act. imperfect. sect. 2. §. 6. & seqq.* Cui non adversatur, quod idem ULP. *l. 1. pr. D. de pact.* fidei humanae nihil magis congruum pronunciet, quam *placita servare.* Etenim verum non est, quod placitum eam etiam pollicitationem complectatur, quae praefationem negotii sperati repraesentat, cum id potius pactum ex utriusque convenientis voluntate perfectum denoter, B. COCCEJ. *alleg. l. sect. 3. §. 38.*

§. XXX.

Pollicita- Quotiescunque autem pollicitatio ita facta fuerit, ut *modum* definite

definite constet, quid oblatum, quæque promissionis sit conditio, obligationem veram pollicitationis editæ esse filiam, nullus dubito. Neque, ut ab hac sententia discedam, permoveor auctoritate viri celeberrimi, qui in *via ad verit. part. 3. cap. 10. §. 10. jus natura nescire pollicitationem*, non tantum statuit; verum etiam in *seq. cap. 11. §. 8.* pollicitationem obligare, *neque interne, neque externe*, confidenter opinatur. Nimirum, cum homo voluntatem suam certo determinaverit, & alium firmiter expectare jusserit, ut futuro tempore quid recipiat, simulque perfecterandi necessitatem, per signa alteri manifestata, indicaverit; legum naturalium amplitudini nimium quantum derogaretur, nisi veram hoc ipso obligationem fuisse natam statuatur. DEUS T. O. M. certe voluit, ut ne fides data falleretur. Itaque veracitatis studium, ut commendatum esset singulis, ipse voluit. Quia igitur ex voluntate Divina, obligatio oritur, secundum tradita *§. V. b. cap. hinc* consequitur necessarium esse, ut obligatio vera ex hujusmodi pollicitatione deducatur. Præterea quoque, cum ad ea, quæ honesta sunt, & decora, homines vere obligati sint, vid. *§. X. b. cap.* executio ejus, quod pollicitus quis semel fuit, ab eo necessitate morali præstanda erit, ni fidei violatæ reus esse maluerit. Vid. PUFFEND. *jur. nat. & gent. lib. 3. cap. 5. §. 6.* Itaque esto, pollicitationem quandoque esse invalidam, qua is, cui ea facta fuit, se eandem contemnere signis idoneis ostendit, cum in invitum non conferatur beneficium: PAUL. in *l. op. D. de reg. jur.* hoc tamen negari non debet, obligationem in pollicente tam diu existere, donec de hoc alterius animo, an acceptare, an respuere malit, vel ex signis, vel ex lapsu temporis, constiterit. Neque procedit argumentum, quod a mutabilitate propositi ducitur, quandoquidem pol-

titio defini-
ta vere
obligat.

Remanet

E 3

licitatio

licitatio ejusmodi propositum supponit, quod deliberato animo conceptum, alteri declaratum, atque ab eodem non refutatum fuit. Cui obligationem qui adimit, ne societatis humanæ decori ac salutem multum deroget magnopere vereor. Quæ ad vindicandam obligationem pollicitationis a dubiis in GUNDLINGIAN. *fascic. 29. cap. 8.* obmotis, sufficient.

§. XXXI.

Obligatio pollicitationis, quousque interna saltem sit.

At enim vero pollicitationem hoc modo vere obligatoriam quidem esse, concedere quis posset, sed ejus tamen vim finibus honesti, & obligationis internæ tantum circumscriptam, simul existimare. Quod ne scrupulum moveat, considerata propius re, fateor, obligationem internam pollicitationis quandoque esse saltem comitem. Sed nullus dubito, quin præsidio obligationis externæ pollicitatio plerumque muniatur. Itaque largior quidem facile, quod si pollicitationis autor sibi præstationem negotii expresse reservaverit, atque ad promissarium ne facultas exigendi transfret, protestatus sit, præter internam obligandam vim, pollicitatio omni destituatur efficacia. Vid. van der MEULEN, *comment. ad Groc. jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 11. §. 3.* Quod fieri quoque admitto, cum ita comparata fuerit pollicitatio, ut promissarius se a liberali promissoris animo expectare implementum, nec flagitare se id velle, demonstraverit. Quemadmodum ad illustrandam sententiam meam eleganter apud M. TULLIUM, in Brut. cap. 4. Pomponius ATTICUS pollicenti insinuavit: *Ego vero & expectabo ea, quæ polliceris neque exigam nisi tuo commodo, & erunt mihi pergrata, si solveris.* Imo nec id in contrarium diu vocare ausim, pollicitationis obligationem tam diu esse internam tantum, quamdiu alter se eandem agnoscere nullo signo idoneo ac sufficiente manifestavit.

Etiamsi

Etiamsi enim in pollicente sit obligatio, jus tamen ad alium haud prius transit, quam is id acquisiverit, quod voluntatis declarationem supponit. Unde si is, qui pollicitus fuit, promissum interim revocaverit, obligationi interne quidem derogat, sed ad implementum coactione alterius adstringi nequit. Atat ex adverso pollicitationes, quæ his restrictionibus non sunt conclusæ, omnes non interne tantum ob metum Numinis obligare arbitror, sed externum quoque effectum producere, cum promissario facultatem exigendi tribuant. Unde optimo jure GROTIUS, *lib. II. de jur. bell. & pac. cap. 14. §. 6.* & PUFFENDORFF, *jur. nat. & gent. lib. 3. cap. 5. §. 6.* adversus eos insurgunt, qui obligationem domini, aut alterius superioris, utri etiam patris internam saltem esse conjiciunt; Vid. VASQU. *controv. illustr. lib. 1. cap. 3. num. 1. & 2.* siquidem recte PUFFEND. d. l. ait: *Quod ejusmodi promissiones velut manca videantur, id non oritur ex intrinseca ipsarum invaliditate, sed quia accedens paciscentibus qualitas externum obligationis effectum intercipit.* Ex quibus propterea declarari debet sententia HUBERI, *de jur. civit. lib. 1. sect. 3. cap. 5. n. 70. & seqq.* Enimvero GROTIUS ac PUFFENDORFFIUS, in scopulos prius notatos ipsi incidunt, dum deinde plenæ & firmæ pollicitationi non aliud, quam internæ obligationis robur adjiciunt. Sane magis verecunda est commentatoris van der MEULEN meditatio, qui *lib. II. cap. II. §. 3.* opportune monuit, quod si *pura & simplex pollicitatio sit, alteri etiam facultas tribuatur exigendi sponsonis adimpletionem.* Imo hujusmodi efficacem pollicitationi inesse vim, jam pridem Comicus novit, qui in *Andr. act. 4. scen. 7.* ob violatam pollicitationis fidem CHARINUM repræsentat, ita conquerentem:
Id est genus hominum pessimum.

In denegando modo quis pudor paululum adest:
 Post ubi tempus promissa jam perfici,
 Tum coacti necessario se aperiunt, & timent,
 Et tamen res cogit denegare.
 Ibi tum eorum impudentissima oratio est,
 Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi?
 Heus, proximus sum egomet mihi, at tamen ubi fides,
 Si roges, nihil pudet. Hic ubi opus est,
 Non verentur: illic ubi nihil opus est, ibi verentur.

§. XXXII.

Pollicita-
 tionis in
 simplicem,
 & acce-
 ptatam
 divisio.

Itaque Pollicitatio duplici considerari potest modo.
 Priore, quo in offerente subsistit; altero vero, quo cum pro-
 missarii acceptance conjuncta est. Quare pollicitationem
 distinguere in *simplicem*, & *acceptatam*, non est inconveni-
 ens. Equidem non ignoro, permultos esse magnæ autori-
 tatis JCTos, qui pollicitationem acceptatam contradictio-
 nem involvere existimant, provocantes ad **ULPIANI** au-
 thoritatem, qui in *l. 3. pr. D. de pollicit.* tradidit: *Pactum est*
duorum consensus, atque conventio: pollicitatio vero offerentis
soliis promissum. Neque me fugit, quod **GROTIUS**, ac
PUFFENDORFIUS, post illos vero plerique omnes juris
 Naturalis interpretes, pollicitationem ideo a perfecta pro-
 missione separaverint, quod rati sint, illam acceptance
 destitui, hanc vero ob mutuum utriusque consensum plenæ
 obligationis robur consequi. Enimvero uti **ULPIANI** ver-
 ba non cum habent sensum, qui illis communiter affingi-
 tur; ita verum non est, quod acceptatio pollicitationem a
 promissione perfecta separet. Quod **ULPIANUM** attri-
 net, veri plane non est simile, cum pollicitationibus quibus-
 dam vim obligandi adscripsisse, etiamsi acceptance pro-
 missarii destituerentur. Neque JCTus eo sensu pactum di-
 stinxit a pollicitatione, quasi pactum tantum perficeretur
 duorum

duorum consensu, pollicitationem unius saltem consensus firmaret. Sed ideo a se invicem separavit, quatenus pactum *promissum* est, quod *duorum* consensum, atque conventionem, id est, reciprocam promissionem complectitur; pollicitatio vero *solius offerentis promissum* esse statuitur. Etenim pacta supponunt tractatus, & partium ultro citroque conventionem; pollicitationem vero ejusmodi tractatus vel conventio præcedere non debet, cum sufficiat sola offerentis promissio. Quo ipso non negatur, pollicitationi quoque duorum consensum inesse, licet is sine mutua conventionem constitutus sit. Atque hæc omnia facilius intelligi adhuc poterunt, si quam diversus stipulationis, pacti, & pollicitationis modus fuerit, prius exposuerim. Nimirum stipulatio erat *verborum conceptio*, quibus is, qui *interrogatur*, *daturum*, *facturumve se*, quod *interrogatus est*, *responderet*. POMPON. in *l. 5. §. 1. D. de verb. oblig. pactum* vero promissum censébat, quod fit quidem *interroganti*, sed *citra stipulationem*. CUJAC. *paratit Dig. tit. de pollicit.* Denique pollicitationem id esse dicebant promissum, quod facit quis *ultra*, *non interrogatus*. Ergo duorum consensus a pollicitatione non excluditur, etiam si licet ea non fuerit consensus species, qualis pactum, vel stipulationem conficiebat. HAHN. *ad Vvesenbec. tit. de pollicit. num. 1.* MEIER. *colleg. Argentorat. vol. 3. d. tit. p. 1.* Add. STRUV. *decis. Sabbath. cap. 1. decis. 4.*

§. XXXIII.

Quemadmodum vero ex §. XXXI. *b. cap.* apparet, Pollicitatio quando pollicitationis obligationem fines obligationis internæ non excedere; priusquam consensu promissarii perfecta sit, ita ex adverso si acceptata fuerit pollicitatio, non est dubitandum, quin illa plenissimæ obligationis efficacia, quatenus eandem leges civiles non destituunt, sit circumscripta.

F

At

At magna exoritur dubitatio, quando acceptatam fuisse pollicitationem affirmari debeat. Si præfens uterque fuerit, & pollicitationem factam se acceptare vel verbis vel nutu declaraverit, cui illa offerebatur, res est non adeo controversa, cum translationem juris hoc modo intercessisse, recte inferatur. *Alleg. §. XXXI.* Certe *nutu pleraque consistunt*, ait *MODESTIN.* in *l. 52. §. fin. D. de oblig. & act.* & toties ille sufficit, quoties verbis peculiariter non est opus. *GLOSS. pen. l. 92. §. fin. D. de acquir. hered.* Vid. *PUFFEND. jur. nat. & gent. lib. 3. cap. 6. §. 15.* Enimvero si vel absens promissarius fuerit, & in ejus gratiam pollicitationem alter acceptaverit, vel in epistola pollicitatio facta sit, aut per nuncium; vel si præfens quidem, sed taciturnus silentio eandem prætereat, quæstio plus habet difficultatis.

§. XXXIV.

*An per
alium ac-
ceptatio
feri que-
at.*

Etiam si enim nemo sit, qui ambigat, quin pro absente is acceptare possit, qui mandato aut jussu istius est instructus, aut pro eadem persona cum absente habetur: utpote quod tam juri naturali est conveniens, vid. *PUFFEND. lib. 3. cap. 9. per tot.* quam traditis legislatorum civilium; vid. *LAUTERB. coll. theor. pract. rit. de verb. obligat. th. 22. & seqq.* tamen controversitur inter *DD.* acerrime, utrum tertius tertio acquirere, ideoque pollicitationem tertio absenti factam acceptare, sine mandato istius valeat. Qua in re, si autoritate solum pugnare deceret, plaustro *Doctorum* adducere, qui hujusmodi promissionem obligationis cujuscunque vinculo carere, unanimi suffragio decernunt. Sed, quia ratione & legibus disceptando decernere oportet, contrariam amplecti sententiam minime pertimesco. Nimirum persuasissimum mihi est, fas & æquum postulare, ut pollicitatio tertio facta,

facta, qui eandem pro absente, etsi neque sciente, neque mandantem, acceptavit, obligatoria sit, atque absenti facultatem tribuat, eam acceptandi, & implementum promissionis a pollicente exigendi: neque prius reddatur irrita, quam absens pollicitationem se repudiare, vel contradictione, vel alio signo idoneo, manifestum fecerit. Quod comprobaturus iudicio suo GROT. *de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 11. §. 18. num. 2.* gravissime ait: *Deficiente mandato, si alius, cui promissio facta non est, acceptet, volente promissore, tunc is erit effectus, ut promissori revocare promissionem non liceat, antequam is, quem spectat promissio, eam ratam habuerit, aut irritam: sic tamen ut medio illo tempore is qui acceptavit, remittere promissum non possit, quia hic non adhibitus est ad jus aliquod accipiendum. sed ad stringendam promissoris fidem in sustentando beneficio, ita ut promissor ipse si revocet faciat contra fidem, non contra jus proprium alicujus.* Atque, nisi me omnia fallant, sententia dissentientium juri Romanorum positivo unice debet originem: cujus rationes ad scopum Reip. Romanæ forte accommodatæ legum naturalium sensui detrahere quicquam haud debent. Ut ne nunc adjiciam, ipsam Juris Romani doctrinam, quæ nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando alteri cavere permittit, tot habere variarum distinctionum anfractus, totque impeti exceptionibus, ut multi melius fore censeant, ut in universum ex bono & æquo statuatur, licere alteri stipulari, aut pollicitationem alteri factam acceptare. Vid. BALDUIN. *comment. ad tit. Inst. de inutil. stipular. verb. si quis alii. pag. m. 503.* Cum quibus conveniunt optime, quæ tradunt CHRISTIN. *vol. 3. decis. 34. n. 11.* GROENWEG. *de LL. abrog. ad §. 19. Inst. de inutil. stipul.* MEY. *part. 4. decis. 112. n. 5.*

De polli-
citatione
per episto-
lam, vel
nuncium.

§. XXXV. In epistola vel nuncio ad absentem transmissio, si pollicitus quis rem fuerit, & accipiens epistolam secum custodierit, aut nuncii oblationem acceptaverit, pollicitatio ex omni parte perficitur, atque jus exigendi producit. Literarum enim acceptio, ac retentio præsumptionem inducunt, id, quod in epistola continetur, acceptum tulisse eum, ad quem epistola transmissa fuerat. Atque oblatio a nuncio facta eundem habet effectum, ac si a promissore præfente promissio edita fuisset. PUFFEND. *jur. nat. & gent. lib. 3. cap. 9. §. 1. & seqq.* BARTOL. *ad L. Titius. D. de constit. pecun. n. 1.* Ubi enim neque verborum, neque scripturæ ulla proprietas desideratur, sed sufficit eos, qui negotia gerunt, consentire; ibi inter absentes quoque negotia perficiuntur, veluti per epistolam, vel per nuncium. GAI. *in l. 2. §. 1. & 2. D. de oblig. & act.* Contraria quidem huic sententiæ in pollicitationis materia est legum civilium autoritas, cum ULPIANUS *in l. 5. D. de pollicit. ex epistola, quam muneris edendi gratia absens quis emisit, ut compelli eum ad editionem non posse*, responsum referat, quemadmodum plerorumque exemplarium fide comprobatur. Sed hoc pollicitationis indoli nativæ nulum infert præjudicium, cum nihil novi sit, jure civili vel addi quid vel detrahi juri communi. ULPIAN. *in l. 6. D. de just. & jur. Conf. §. XIV. & §. XV. h. cap.* sicque tota hujus constitutionis ratio *in libero Legislatoris arbitrio quaerenda est, ad quem tanquam ad caput reipubl. spectat cura, ad pollicitationes impleantur, prout bene observavit B. THOMAS. annot. ad Strauch. Dissert. Justin. 12. th. 4.* Imo, si VIGELIO, *Digest. part. 1. lib. 12. cap. 8.* fides adhibenda, quædam Digestorum exemplaria JCTi verba *in l. 5. alleg. l. in sensu affirmante exhibent, particula negativa*

tiva Non omiffa. Ut taceam, mentem ULPIANI ab AL-
 CIATO, & aliis ita exponi, ut prohibitum in univerfum
 non fit, pollicitationem per epiftolam conficere. STRUV.
decif. Sabbath. cap. 1. decif. 5. Interim prætermitti non debet,
 quod fi internuncius adhibitus prius moriatur, quam is ad
 alium acceptantem pollicitationem tranftulerit, vis ejus-
 dem atque efficacia externa concidat, *quia in illius verbis
 pofta fuerat obligatio.* GROTIUS. *de jur. bell. & pac. lib. II. cap.
 11. §. 17. n. 1.* Quod tamen in latore literarum pollicitationem
 continentium fecus eft. PUFFENDORF. *jur. nat. & gent. lib.
 3. cap. 9. §. 3.* Quod fi vero epiftolæ fcriptor prius e vivis
 decefferit, quam is ad quem miffa eft, eam acceptaverit,
 nihil effici, afferit quidem SCIP. GENTILIUS. *ad Apul.
 Apolog. n. 690.* fed probabilior mihi videtur HUBERI fen-
 tentia, qui *de jur. civit. lib. 2. feñt. 6. cap. 3. n. 10.* promif-
 fore mortuo, eum cui promiffum eft, acceptare promif-
 fionem poffe, defendit, cum fcil. heredes promifforis
 ante acceptationem eam non revocaverint. Nam minus
 ambiguum eft promiffionem revocari a pollicente poffe,
 priusquam promiffarius eandem acceptaverit, ita ut obli-
 gationis externæ vis pereat: neque id tamen aliter, quam
 cum revocationem fuiſſe factam, is, cui oblatio facta erat,
 intellexerit. Vid. B. THOMAS. *inftit. jurispr. div. lib. 2.
 cap. 7. §. 118. in not. lit. l.*

§. XXXVI.

Succedit quæftio, quanta vis pollicitationem fequa-
 tur, quæ præſenti oblata fuit, fed ſilentio ab eodem ex-
 cepta. Equidem, cum PAULO teſte, in *l. 142. D. de reg.
 jur. Qui tacet non utique fateatur, eſt verum eſt,* eum non
 negare, difficultate non caret, an acceptari obligatio ita
 quoque cenſeatur, ſi nulla quidem ſigna diſſenſus adſint;
 neque tamen indicia ex adverſo adfuerint, quibus alias
 con-

De acce-
 ptatione
 tacentis.

consensus exprimi solet. Vero tamen id omnino est consentaneum, ex silentio nonnunquam consensum constanter inferri. *Quid expectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis?* quærit CICERO, *Orat. 1. in Catil. cap. 7.* Et EURIP. in *Adrom.* apud STOB. *Serm. 24. Interpres,* inquit, *est orationis abditus, silentium.* Nimirum quotiescunque de alterius præsentis, & actus perfectionem contradictione sua impedire valentis agitur jure, silentium ipsius habetur pro consensu. HERT. *opusc. vol. 1. tam. 3. Paroem. lib. 1. paroem. 7.* Atque speciatim promissioni gratitæ ea adscribitur efficacia, ut præsentis & tacenti facta tantundem valeat, quam si expresse fuisset acceptata, uti prolixè exposuit MENOCH. *lib. VI. præsumt. 99. num. 11. Et seqq.* Liberalitatem quippe nemo respicere videtur. CARPZ. *Jurisp. forens. part. 2. constit. 12. def. 21.* Et quamvis BACHOVIUS, ad *Trentler. vol. 1. disp. 6. th. 1. lit. b.* taciturnitatem loco acceptationis, etiam ubi de favore tacentis agitur, minime sufficere arbitrerur, argumentum dissensus non adeo valide stringit, ut mutare sententiam oporteat. Etenim, quod tacuerit promissarius, non tam acerbam meretur imputationem, ut indignus donatione censeatur. Fortassis verecundia impeditus fuit, quo minus liberalem promissoris pollicitationem sibi velle acquisitam verbis testaretur. Fortassis alia intercesserunt, cur acceptatio conceptis verbis fieri non potuerit. Sufficit, tacentem pro invito haberi non posse, nec valere præsumtionem, quod quis ea, ex quibus commodum expectat, repudiaverit, quia tacuit. Conf. SCHILTER *Prax. Jur. Rom. Exercit. 43. §. 24.*

§. XXXVII.

Pollicitationis di- Expositis hoc modo illis, quæ ad designandam pollicitationis obligatoriz indeolam in univèrsum pertinent, gradum

gradum atque aditum ad cætera cognoscenda jactum fuisse *visio lege*
 arbitror, quæ juris positivi doctrina pollicitationis obli- *facta.*
 gationi adjecit. Nimirum distingui omnino oportet, quis
 ille sit, cui pollicitatio facta sit, an Deus, an Respublica,
 an vero privati. Sane DIOCLET. & MAXIM. Imp.
 in *l. 5. C. de contrah. & committ. stipul.* explicite testifican-
 tur quod *nuda pollicitatione, secundum ea, quæ sape consti-*
tuta sunt ad præstanda ea quæ promiserat, urgers quæquam
non semper jura permittant. Præterea autem ULPIANUS,
 in *l. 1. D. de pollicit.* docet, ex pollicitatione Reipublicæ
 facta obligationem nasci: uti IDEM, in *l. 2. cod. si quis*
 rem aliquam voverit, ex voto obligari, asseruit. Quæ
 omnia secus se habent, cum ad privatos pollicitatio fuerit
 directa, quandoquidem jus civile easdem in plerisque ca-
 sibus haud munivit actionis instituendæ præsidio. Vid.
 LAUTERB. *Colleg. theor. pract. tit. de pollicit. rh. 2.* Qua-
 re separatim I. *de obligatione pollicitationis factæ privatis;*
 II. *De obligatione pollicitationis factæ Reipublicæ;* & III. *de*
obligatione pollicitationis factæ Deo, sive voto, agendum erit.

CAPUT SECUNDUM,

De

OBLIGATIONE POLLICI-
 TATIONIS FACTÆ
 PRIVATIS.

§. I.

CUm in capite præcedente, §. XXIV. & §. XXV. *Quinam*
 expositum fuerit, quemadmodum pollicitatio de- *pro priva-*
 finire queat, sine difficultate intelligitur, quid *tis habe-*
 pollici- *antur.*

pollicitatio privatis facta denotet: modo recte teneatur, quinam privati esse censeantur. *Privati* non uno vero accipiuntur sensu. Ego privatos in hoc ipso capite omnes esse censeo, qui in ordine sunt parentium aut subditorum, nec per privilegium fuere donati jure Reipublicæ proprio, etiam si alias dignitate muneris, quod gerunt, præ reliquis sint conspicui. Quo sensu VOPISCUS, in *Aurel. cap. 46. Dedit, ait, præterea potestatem, ut argentatas privati carrucas haberent, quum antea arata & ebolata vehicula fuissent.* Conf. SALMAS. in *not. ibid.* Atque eodem sensu JUSTIN. in *§. fin. Inst. de just. & jure. publicum* id esse censuit, quod ad statum Rei Romanæ pertinet, uti *privatum*, quod ad utilitatem singulorum spectat.

§. II.

Quando pollicitatio privatis si pollicitatio facta fuerit, & promissor id quod pollicitus est, sponte ut præstet, persuaderi nequeat, non sine causâ disquiri ante omnia debet, qualis sit pollicitationis emissæ efficacia, ut jus promissarii agere volentis tanto facilius cognoscatur. Atque initio statim ex §. VI. *cap. præced.* observari debet, indolem obligationis non esse semper eandem. Quamobrem, cum pollicitatio privatis facta indefinita sit, aut assertionem nudam contineat, vel etiam contractum insegurum sed abruptum respiciat, obligandi virtute prorsus destituitur, secundum ea, quæ §. XXVII. & *segg. cap. præced.* explanavi. Quod si etiam pollicitatio nulla promissarii acceptatione sit munita, & ex sola promissoris voluntate pendeat, obligationem internam quidem, sed nondum externam producit, ideoque in foro civili est inefficax. Vid. §. XXXI. *alleg. cap.* Maxime cum leges civiles nullam obligationi internæ intuitu pollicitationis adjecerint auctoritatem, quæ hanc obligationis speciem necessitatis externæ vinculo

Quando
pollicita-
tio priva-
tis facta
non obli-
get.

pollicitatio
privatis facta
non obligat

vinculo firmare sola potest. Vid. §. XII. d. l.

§. III.

Sed dubium videri posset, annon beneficio legum civilium obligationi pollicitationis internæ firmamentum accesserit, cum donatione, etiam *sine acceptatione* donatarii facta, constringi promissorem; multi juris Romani interpretes confidenter asseverent. Sane ANTON. FABER. quem virum eminentissimæ eruditionis compellare haud ambigit GROT. lib. 2. de Jur. Bell. & Pac. cap. 16. §. 1. num. 1. in tractatu, quem de *erroribus Pragmaticorum, conscripsit, decad. 47. error. 1.* id firmiter sibi persuasit, cum verba JUSTIN. Imp. in l. 35. C. de donat. ad pollicitationem, seu promissum non acceptatum retulerit. Atque eandem sententiam post FABRUM fovisse videtur del CASTILLO, quorid. controver. lib. 4. cap. 37. num. 39. & seqq. licet eandem absolute propugnare non audeat. Vid. num. 41. in fin. & num. 44. in fin. ibid. Enimvero falsitatem hujus suppositi tum ex verbis legum Romanorum, tum ex necessario earundem sensu, luculenter & elegantissime demonstravit ante aliquot annos Celeberr. GUNDLING. Opuscul. fascic. 29. cap. 4. Certum utique reputari debet, antiquioribus Reipublicæ Romanæ temporibus tantum abfuisse, ut sine acceptatione donatio perficeretur, ut propterea imaginaria venditio sestertio nummo uno, vel assibus quatuor potius requireretur. Vid. CONSTANT. Imp. in l. 4. Cod. Theodos. de donat. Dadin. ALTESERRA de fict. jur. part. 1. tract. 3. cap. 2. Atque de acceptationis necessitate in specie testimonium perhibet M. TULLIUS, qui in *ropic. cap. 8.* Neque *deditionem*, inquit, neque *donationem sine acceptatione intelligi posse.* Imo ad ævum JUSTINIANI usque acceptationem pertinuisse ad donationis substantiam, nemo ambigere potest, qui expendit PAULI judicium in

An pollicitatio
jure civili
sine acceptatione
valeat.

et alio
ut
vult
ingido
m
m
m

G

l. 10.

l. 10. D. de donat. Sc. quod si nescit (donatarius) rem, quæ apud se est, sibi esse donatam, vel missam sibi non acceperit, donatæ rei dominus non fiat. Neque contraria illis est JUSTIN. Imp. in §. 2. *Inst. de donat.* & *l. 35. §. 5. C. de donat.* dispositio, quam ex omisso acceptationis requisito inferendam esse videri poterat. Nam non solum id, quod verbis exprimitur, sed etiam, quod ex expressis sequitur, pro expresso haberi debet. BALD. in *l. fin. Cod. fin. C. de his, qui ant. apert. tab. testam.* At vero acceptationem in donatione JUSTINIANUM supposuisse exinde liquet, quod ad exemplum venditionis, perfectionem donationis expresserit, in §. 2. *Inst. de donat.* in qua consensum utriusque partis requiri, ipsa res loquitur; in *l. 35. C. de donat.* autem stipulationis & traditionis, minime vero acceptationis, necessitatem rejecerit. Imo ex ejusdem JUSTIN. *Novella* constitutione 162. contraria legislatoris mens elucet, quandoquidem perfecte omnia se in donatione ut habeant, necessarium statuit.

§. IV.

Pollicitatio naturaliter obligat. Enimvero, si serio ac deliberato animo quis sponte, & sine alterius interrogatione, vid. §. XXIV. *cap. preced.* pollicitus fuerit, atque is, qui obligare se valide potest, ille quin ex pollicitatione rei vel facti extra commercium haud positi naturaliter obligetur, postquam promissarius acceptaverit, nullatenus est dubitandum vid. §. XIII. & §. XXX. *d. cap.*

§. V.

An etiam civiliter. Neque tamen hæc pollicitatio præter pudorem, quem violatæ legis naturalis conscientia injicit, alios inter cives producit effectus: si lege civili obligandi vis vel in rotum, vel pro parte repetita haud fuerit. Vid. §. XI. & *seq. it. §. XIV. cap. preced.* Itaque ut intelligatur, quantam pollicitationi

licitationi lex positiva obligandi vim adscripserit, leges Romanas evolvere, & cognito illarum sensu, canonum tradita, deinde vero observantiam forensam scrutari oportet.

§. VI.

Quod jus Romanum atinet, principiis ejusdem con-
venire arbitror, ut cum simplex aut non acceptata pollicita-
tio, quæ privatis facta est, nullos producat effectus
civiles; vid. §. III. *h. cap.* sic ex adverso pollicitatio acce-
ptata eam habeat efficaciam, quæ pactis nudis alias ad-
scribitur. Vid. §. XX. *cap. preced.* Etenim in §. XXXII.
cap. preced. plenius commemoravi, acceptatione pollici-
tationis indolem haud ita transformari, ut pollicitatio esse
desinat, ex quo promissarii consensu munita fuit. Itaque,
cum DD. concordii suffragio statuant, hujusmodi pollici-
tationes naturam pacti induere, id minime ita erit acci-
piendum, ac si ex pollicitatione pactum sit factum, sed ita
potius, ut pollicitationis & pacti eandem esse obligandi
vim, eosdemque in foro effectus, intelligatur. Vid. CU-
JAC: *lib. 19. observ. 32.* VOET. *Comment. ad Digest. tit. de*
pollicit. §. 1. Quam ob causam etiam in legibus Romanis,
pollicitationem & pactionem idem nonnunquam consti-
tuere negotium animadvertitur. Vid. ZENO, in *l. un. C.*
de ratiocin. oper. publ. RUBR. *tit. C. de dotis promiss. &c.*
Neque enim promiscuum hunc vocabularum usum JCros.
admissuros fuisse conjicio, nisi pollicitationi etiam effica-
ciam pactionis inesse deprehendissent. Imo licet in ordi-
ne Digestorum de pollicitationibus separatim egerint com-
pilatores, cum prius de pactis, & de donationibus disse-
ruissent; atque speciatim ULPIANUS, in *l. 3. D. ibid.*
ob causam factum fuisse arbitror, quam quia 1.) initium
pacti & pollicitationis utique diversum est; deinde 2.) pol-
licitatio

Pollicita-
tionis ea-
dem obli-
gatio que
pacti.

licitationes quasdam agendi facultas amplificat, quæ nudis pactioibus denegatur: Conf. §. XXXII. *alleg. cap. praeced.* Denique 3.) donationem per conventionem frequentius constitui, fortassis creditum fuit.

§. VII.

Acceptatio tacita tantum valet, quantum expressa.

Atque hanc efficaciam pollicitationi inesse, nullus dubito, siue *expresse*, siue *tacite* acceptata fuerit. Etenim supra *cap. 1.* §. XXXV. & XXXVI. tradidi, acceptationem tacitam naturæ acceptationis convenire. Neque persuaderi possum, ut silentio vim consensus præsumti in pollicitatione privatis facta denegem: etiamsi licet Nonnemo absurditatis eos insimulet, qui taciturnitati vim acceptationis tribuunt. In qua sententia tanto magis ideo confirmor, quod GORDIANUS Imp. in *l. 6. C. mandar.* explicite constituerit, fidejussorem *pro vco patiente* fidem suam adstringentem alterum sibi obligasse. Quo etiam pertinet ULPIANI, in *l. 11. D. de spons.* doctrina, quod quæ patris voluntati *non repugnat*, filia familias, *consentire* intelligatur. Conf. WISSENB. *disp. ad reg. jur. 21. leg. 142. n. 4.* Unde DEL CASTILLO *controv. jur. lib. 4. cap. 37. num. 41. in f.* donationis validitatem ex tacita acceptatione eliciendam esse, meo iudicio recte etiam censuit.

§. VIII.

Ex pollicitatione an oriatur actio.

Sed in vulgus jam pridem emanavit, pacta Romanorum jure ita non nunquam fuisse probata, ut, qui pacto nititur, etiam cautionem paratam habeat, qua nolenti impedimentum extorquere possit. Sane cum ULPIANO, in *l. 5. D. de pact.* teste, conventionum tres sunt species, & ex publica causa fiant, aut ex privata, aut legitima, continuo PAULUS, in *l. 6. D. de pact.* legitimas conventiones eas esse determinat, quæ lege aliqua confirmantur: *Et ideo, inquit, interdum ex pacto actio nascitur, vel tollitur,*

eur, quotiens lege, vel Senatusconsulto adjuvatur. Conf. cap. r. §. XIX. Quod si igitur pollicitatio acceptata pactionis effectum sortiatur, secundum ea, quæ dixi §. VI. b. cap. fieri aliter non potuit, quin pollicitationi privatis factæ facultas agendi quoque aliquando indulgeretur.

§. IX.

Attamen exemplis assertionis meæ veritas comprobanda erit, ne, si non jus, probatio deficere videatur. Neque aliud prius adferre me debere arbitror, quam quod facillimum sit demonstratu, quodque quam plurimas complectatur species. Hujusmodi exemplum autem in donatione exhiberi, audacter affirmo. Ex quo nimirum, cum de donatione quæritur, promittat quis, vel polliceatur, vid. ULPIAN. in l. 19. pr. D. de donat. jure perfecta est donatio. Cum enim in arbitrio cujuscunque sit hoc facere, quod instituit (pollicetur) oportet eum vel minime ad hoc proficere, vel cum ad hoc venire properaverit, non quibusdam excogitatis artibus suum propositum defraudare, tanzamque indevotionem quibusdam quasi legitimis velamentis protegere: quemadmodum JUSTIN. Imp. in l. 35. §. 5. C. de donat. præcipue sanxit. Atque donatio hoc modo sine traditione vel stipulatione per nudam voluntatis declarationem facta adeo est obligatoria, ut conditionem ex lege promissario tribuat. Utpote quod juris remedium JUSTIN. in Nov. 162. cap. 1. ei, cui alter quid pollicitus est, expressis verbis indulsit. Conf. Celeberr. GUNDLING. opuscul. fascic. 29. cap. 4. §. 16.

Pollicitatio in donatione jus agendi tribuit.

§. X.

Aliud exemplum pollicitationis actionem producentis perhibet *Dotis pollicitatio*. Erenim, cum ad dotis exactio- nem qualiacunque verba sufficiant, THEODOS. & VALENT. Imp. in l. 6. C. de dot. promiss. & dotis promissio etiam factam fa- cit dotis pollicitatio.

etiam pollicitatione perficiatur, *rubr. Cod. de dot. promiss.*
 SEVER. & ANTON. Impp. in *l. r. C. de jur. dot.* haud
 opus est ambigere, quin is, qui pollicitus fuit dotem, ean-
 dem, velit, nolit, praestare deinde cogatur. Enimvero haec
 pollicitatio dotis initio eandem minime habuit obligandi
 vim, quam subsequantium seculorum mores illi adjecere.
 Quare operæ pretium est, ex latebris antiquitatis rem to-
 tam extrahere. Nemo nescit eum, qui ducturus uxorem
 priscis temporibus erat, obligationem sponsæ, vel ei, cu-
 jus erat juri supposita, conventionem præcedente imposu-
 isse. Quod præcise licet, perspicue tamen FLORENTI-
 NUS JCTus ostendit, qui in *l. r. D. de sponsal.* sponsalia
 mentionem & repromissionem futurarum nuptiarum ap-
 pellavit. Sed si sponsalia hoc modo firmiter confecta
 fuissent, dotis promissio subsequi solebat, ab ipsa sponsa-
 lium conditione diversa. Nam cum in sponsalibus confi-
 ciendis ex parte sponsi interrogatio fuisset interposita; ex
 adverso dotem ultro sponsa, vel ejus nomine alius offere-
 bat, ne sponsus magis de dote sollicitus, quam de sponsa,
 videretur interrogationibus suis dotem extorquere. GAL-
 VAN. *de usufr. cap. 15. num. 4.* Atque hujus moris multa
 sunt in Veteribus, imo in ipsis Comicatorum theatris non
 obscura impressa vestigia. Ita in Aulul. PLAUTUS Me-
 gadorum ab Euclione filiam stipulantem primo introducit;

M. *Quid? nunc etiam nunc mihi despondes filiam?*

E. *illis legibus.*

Continuo vero Euclionem offerre facit:

Cum illa dote, quam tibi dixi.

Eodemque modo TERENT. *Andr. act. V. scen. 4. v. 47.*
 ex quo Chremes ultro dixerat:

- - - - - *Dos est Pamphile*

Decem talenta.

Pamphi-

Pamphilus illico responder: *Accipio.* Quem locum eleganter exposuit DONTUS, in not. *ibid.* dum ait: *Ille nisi dixisset, accipio, dos non esset, datio enim ab acceptore confirmatur: nec potest videri datum id, quod non acceptum.* Ubi tamen obiter observari velim, bene monere GALVANUM, *alleg. l.* quod oportunius scripsit TERENTII verba ostendant, dotem promissam, non traditam fuisse, & supra cap. 1. §. XXXI. & seqq. vim pollicitationis omnem ab acceptance pendere, ipse doceam, Add. SIDON. *lib. 1. epist. 11.* Eoque referendum est, quod de patre dotem dicente *Epist. 6. lib. 2.* PLINIUS, scribit: *Cumque vivente eo nubenti tibi in dotem centum millia contulerim, præter eam summam, quam pater tuus quasi de meo dixit (erat enim solvenda de meo) magnum habes facilitatis mee pignus.* Quod præterea probant ULPIAN. *fragm. tit. 6. §. 1. & 2.* JULIAN. in *l. 44. §. 1. D. de jur. dot. ID. in l. 46. §. 1. cod.* JAVOL. in *l. 57. D. cod.* MARCELL. in *l. 59. D. eod.* & PROCUL. in *l. 125. D. de verb. signif.* Sed quam maxime rem totam illustrat GAI. *Instit. lib. 11. tit. de obligat. §. 3.* dum inquit: *Sunt & alie obligationes quæ nulla præcedente interrogatione contrahi possunt, id est, ut si mulier sive sponsa, sive jam marito uxor futura dotem dicat: quod tam de mobilibus rebus, quam de fundis fieri potest: Et non solum in hac obligatione ipsa mulier obligabitur, sed & pater ejus, & debitor ipsius mulieris, si pecuniam, quam ille debebat sponso creditoris, ipse debitor in dotem dixerit. Hæ tantum res persone, nulla interrogatione præcedente possunt dictione dotis legitime obligari. Aliæ vero persone, si pro muliere dotem promiserint, communi jure obligari debent: id est, interrogatæ respondeant, & stipulate*

pulata promittant. Hinc enim simul intelligitur, a quibus personis promissio dotis sine interrogatione fieri, & quibus de rebus olim potuerit. Hæc autem dotis dictio, etiam si sine interrogatione conficeretur, tamen solennis erat, & certo constabat verborum ritu. Vid. RÆVARD. *de auctor. prud. cap. 4. Opp. tom. II. pag. m. 962. & seq.* Ipsa quippe *dictionis* vox hoc satis indicat, quam materiae de verborum obligationibus GAJUS *d. l.* inseruit. Neque dubitat JAC. GOTHOFR. in *comment. ad l. 4. Cod. Theodos. de dot.* quin a cive Romano, & coram testibus dos dicta sit, quare actum Quiritarium ac solennem fuisse conjicit. Unde ex hac quoque solenni dotis dictione conditio orta fuit, quam SEVER. & ANTON. Impp. in *l. 1. Cod. de jur. dot.* indulgere promissariis. Nam probabile admodum est, verba hujus textus: *si pollicitatio &c.* dictionem dotis solennem inferre, cum, quod pro simplici dotis pollicitatione possit agi, longe postea fuerit introductum THEODOSII ac VALENTINIANI constitutione, quæ extat in *l. 6. C. de dot. promiss.* & *l. ult. C. Theodos. de dot.* Ex quo vero hæc Theodosiana constitutio invaluit, qualiacunque verba, id est, tralatitia ad exactionem dotis suffecerunt, remissa necessitate dotis solenniter vel dicendæ, vel promittendæ, quod satis sit dotem promissam fuisse, *quam semel prestari placuit.* Quæ res deinde adeo omnium imitatione fuit producta, ut dotis dictio prorsus fere exoleverit. Itaque veri est admodum simile, quod GOTHOFRED. *d. l.* & WISEMB. *comment. ad l. 6. C. de dot. promiss.* statuunt, Tribonianum in omnibus Pandectarum & Codicis locis, in quibus Prudentes vel Imperatores scriplerant, *doti dicere* aut *dotis dictionem*, vel verba prorsus sustulisse, vel pro eis reposuisse pollicitationem, vel promissionem. Hocque pacto sine difficultate tenetur, quare

HAR-

HARMENOP. *lib. 4. tit. 8. §. 13.* ex vers. dixerit : *Ex nuda promissione pater debet dotem.* Equidem non ignoro, **CONNANI** *s. comment. l. 3.* & **DONELLI** in *l. 10. C. de dot. promiss. n. ii.* eam esse sententiam, ac si obligatio dotis promissæ ex ipsâ nuptiarum contractione, sicque contractu innominato potius penderet, quam nuda pollicitatione. Sed recte regeritur, hanc doctrinam a jure civili abhorrere, cum post nuptias constitutas dos etiam promitti possit, & præterea factum contrahendarum nuptiarum non habeat rationem causæ, quæ in contractu innominato notatur. **WISSENB.** *alleg. l. Conf. BACHOV. comment. ad Dig. tit. de pact. rubr. de pact. legitim. n. 5.*

§. XI.

Præterea quoque obligatio civilis, & ad actionem sufficiens pollicitationem sequitur, cum *promissio salarii facta* *De obli-*
 sit. Nam salarium incertæ pollicitationis peti quidem non *gatione*
 potest, prout definiverunt **PAPIN.** in *l. 56. §. 3. D. Mand. tionis sa-*
 & **DIOCLET.** & **MAXIM.** *Imp. in l. 17. C. eod. cujus* *larii.*
 decisionis fundamentum ex eis illustrari potest, quæ in *cap.*
1. §. XXVII. & §. XXXI. præmissi. Sed ea petitio omni-
 no conceditur, cum certa fuerit salarii constitutio per pol-
 licitationem facta, quippe de quo *apud Præsidentem provin-*
cie, aut extra ordinem cognitionem præberi, rescribunt, *pro-*
SEVER. & **ANTOM.** *Imp. in l. 1. C. Mand.* Quo ipso *gatio-*
 salarium promissum adjudicari a iudice debet, quasi ea le- *is ob-*
 ge & fiducia ad implendum id, quod sub salarii pollicita- *gatione*
 tione impositum fuit, suscipiens accesserit. **BURGUND.** *de peric. & culp. cap. 9. num. 4. & 5. Opp. pag. m. 328.* Ne-
 que id fieri ideo debet, quasi obligatio hoc casu orta no-
 vum contractus genus repræsentet, sed quia obligatio natu-
 ralis inde nata beneficio legis speciatim adjuvatur. **HIL-**
LIGER. *Donell. enucleat. lib. 12. cap. 14. ibique in not. lit. c.*

H

&

& lib. 13. cap. 10. in nor. lit. f. Hæcque salarii, quod quis alteri pollicitus fuerit, præstatio tanto magis adstringit promittentem, cum promissarius pollicitationis ob causam jacturam rerum suarum perpeffus fuerit. Quam rem quam maxime illustrat responsum SCÆVOLÆ; qui in l. ult. §. 1. D. de oblig. & act. accommodata ad probandum elegantia ait: *Seja cum salarium constituere vellet, ita epistolam emisit: Lucio Titio salutem. Si in eodem animo, & eadem afflictione circa me es, qui semper fuisti: ex continentia acceptis literis meis, distracta re tua, veni: hoc tibi quamdiu vivam præstabo, annuos decem: Scio enim, quia valde me bene amas. Quæro, cum & rem suam distraxerit Lucius Titius, & ad eam profectus sit, & ex eo, cum ea sit: an ei ex his epistolis salarium annuum debeatur? Respondit, ex personis causisque eum, cujus notio sit, æstimaturum, an actio danda sit.* Quem locum ut illustraret, operam bene insumsit CUJAC. lib. 19. obs. 35.

§. XII.

Pollicitationis obligatio propter stipulationem. Neque tamen animum induxi illam pollicitationum recensere indolem, si eisdem firmamentum stipulationis, alteriusque contractus, lege civili omnimodo obligantis accesserit, cum efficacia obligationis tunc a pollicitatione non adeo, quam a vinculo accedente procedat.

§. XIII.

De obligatione pollicitationis jure Canon.

Potius lubet strictim explorare, quæ jure Canonico pollicitationis censei debeat obligatio. Equidem haud desunt istius juris interpretes, qui pactionibus ac pollicitationibus agendi facultatem jure Canonico fuisse concessam omnino negant. Vid. GONZALETZ ad cap. 1. & 3. X. de pact. ZIEGLER. in prælect. ad Decretal. alleg. capp. Imo fateri oportet, in textibus cap. 1. & 3. X. de pact. non multum esse præsidii repositum, quo obligatio pollicitationis

tionis suscipiatur: quandoquidem in *cap. 1.* Pontifex transactionis jura designat, quæ cum impleta fuerit, firmissime conservari debet; in *cap. 3.* vero de pactis gentium publicis inculcetur, studiose agendum esse, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur: quam dispositionem promissionis maxime favorabilis causa emissam ad alias quas-cunque extendere, non sine ambiguitate licet. Enimvero ratio juris Canonici in universoni ea est, ut pollicitationi serio editæ, & a promissario acceptatæ Pontifices obligandi vim in foro efficacem inesse voluisse, præsumi necessario debeat. Ut enim alia præteream, certum utique est, in conficiendis capitulis illum semper fuisse Pontificum sensum, ut, quæ jure civili determinata fuerant, æquitatis vel veræ, vel simulatæ prætextu infirmarent. Cum itaque speciosus nihil inveniri profus queat, quodque legislatorum æquitatem magis repræsentet, quam si promissioni adjiciatur plenariæ & civilis obligationis vinculum, probabile redditur, Pontificem idem in sui juris volumine supposuisse. Cum etiam plura a Pontificibus promissionum schemata reprobentur, vid. *cap. 4. & seqq. cap. fin. X. de pact.* indicium inde elicitur, reliqua tanquam non accepta intra regulam subsistere, & promittentem adstricta præstandi necessitate obligare. Conf. Celeberr. BOHMER, *jur. eccles. Protest. lib. 1. tit. 35. §. 4. & seqq.*

§. XIV.

Etiam si autem dispositionem juris Canonici in dubium adhuc vocare nonnulli contenderint, id tamen firmissime persuasus statuo, moribus obligationem pollicitationis eandem esse, quæ pactorum est ac contractuum: sicque non tantum naturales effectus producere, sed omnes, quos reliquæ obligationem species in foro civili producant. Ita enim antiquissima Germanorum instituta commemorans.

Hodie pollicitatio est obligatoria.

JUL. CÆSAR, *comment. de bell. Gall. lib. VI. cap. 23.* exitium hoc observatæ religiosissime pollicitationis adtulit testimonium: *Ubi quis, ait, ex Principibus in concilio se dixit ducem fore, ut qui sequi velint, profiteantur, consurgunt ii, qui & causam & hominem probant, suumque auxilium POLLICENTUR, atque ab multitudine collaudantur. Qui ex iis secuti non sunt, in desertorum, ac proditorum numero ducuntur, omniumque rerum iis postea FIDES ABROGATUR.* Nec mutata fuit ista observantia sequentibus seculis, cum superstites hodieque Germanorum antiquorum leges, quas LINDENBROGIUS, & alii conservarunt, nullam pactorum, contractuum, aliarumque promissionum inferant differentiam. Imo pollicitationem obligatoriam per se esse, luculento fatis argumento probat compiler Jur. SAXON. qui *lib. 1. art. VII.* ait: *Wer etwas gelobet / der soll es gesen / und was er thut / das soll er stat halten.* Quo sensu Jus ALEMANN. *cap. 13.* quoque dixit: *Was der Mann gelobet / das soll er stets halten.* Unde Belgarum nota parcemia: *Belofte maecht Schuld.* & Germanorum: *Ein Mann / ein Mann / ein Wort / ein Wort.* Vid. HERT. *opusc. vol. 1. tom. 3. paræm. Germ. lib. 1. paræm. 8.* Quæ est ratio, ut Principes Jctorum etiam pollicitationi acceptatæ vim obligandi plenissimam adscribere haud vereantur. ALTHUS. *dicoeolog. jur. lib. 1. cap. 88. num. 40. & seqq.* HAHN. *ad Wesenbec. tit. de pollicis. n. 1.* BEYER. *delin. jur. secund. Pand. cod. tit. TIT. jur. priv. lib. 4. cap. 13. n. 2.* CYPRIAN. REGNER. *conf. Belg. ad l. 3. D. de pollicis.* Quod ipsum dum assero, sic accipi nihilominus sententiam velim, ut pollicitatio illa demum moribus obligatoria habeatur, quæ omnibus est requisitis instructa, quæ *cap. 1. a §. XXVI.* usque ad finem capituli examinavi. Quin etiam pollicitationi requisitis suis instructæ vim obligandi haud

haud adscripserim, cum pollicens aut facultate disponendi de re sua destituatur, aut res promissa ita sit comparata, ut in pollicitationem deduci nequeat. A quorum omnium commemoratione tamen ideo abstinui, quia argumenta huc pertinentia, occasione materiæ *de pactis*, a JCris plena manu exhiberi solent.

CAPUT TERTIUM,

De

OBLIGATIONE POLLICITATIONIS FACTÆ REIPUBLICÆ.

§. I.

Obligationem pollicitationis privatis factæ excipit illa, quæ *Reipublica* causa emissa fuit. Ubi initio haud abs re erit exponere, quo sensu *Reipublicæ* vocabulum heic positum sit, intelligique debeat. Inter Politicos multi reperiuntur, qui ad civitatis & *Reipublicæ* indolem respicientes, utriusque rei eandem definitionem constituunt. Vid. ARNIS. *de Republ. lib. 1. cap. 5. sect. 3. n. 3.* A quibus alii discedunt, qui *Reipublicam* speciatim per ordinem parendi atque imperandi definiunt. HERT. *prud. civil. part. 1. sect. 2. §. 3.* Imo rursus alii pro statu populari *Reipublicam* venditant, quo perinet JULII CÆSARIS dictum ap. SÆTON. *cap. 77. remp. jam umbram tantum reip. habere.* At hujusmodi significationes omnes huic themati minime convenient. Itaque illas tantum notiones quæ juris Romani Auctoribus

Quid Reipublicæ vocabulum denotet.

familiariores sunt, huc transferam. Hi reipublicæ nomine quidem civitatem Romanam decorare solent, eminentiori loquendi modo, atque a reliquis civitatibus distinguere: vid. ULPIAN. in l. 20. §. 9. D. ex quibus caus. maj. Enimvero frequentius reipublicæ vocabulum quibusvis civitatibus & municipiis hi ipsi accommodarunt. Ita certe GAJUS, l. 13. §. 1. D. de publ. vectigal conductum a Republica cujusdam municipii memoravit, & alibi in juris Romani voluminibus passim civitatis, municipiorum, & reipublicæ nomina promiscue posita inveniuntur. Vid. GOTHOFR. Comment. ad l. 21. D. de reg. jur. GLOSS. Republica in Novell. 1. Imo & per extensionem reipublicæ jura aliis universitatibus & collegiis licitis quibuscumque indulgentur, quandoquidem illis ad exemplum reipublicæ res suas habere, & tanquam in republica agere conceditur, GAJ. in l. 1. §. 1. D. quod cujusque univers. nom. eodemque modo municipium, respublica & universitas designantur. ULP. in l. 2. D. & JAVOL. in l. 8. D. ibid. Quo pacto rempublicam esse censeo universitatem, aut societatem, quæ communis utilitatis causa communibus legibus sociata corpus aliquod civile representat.

§. II.

De obligatione pollicitationis reipublice facte generaliter.

Huic autem Reipublicæ, si pollicitatio facta sit, & de obligatione inde promittenti imposita oriatur quæstio, ex disciplina legum naturalium rem determinare prius oportet, deinde vero sensum legum civilium exquirere. Quod ad leges naturales spectat, ea, quæ cap. 1. a §. XXVII. usque ad §. XXXVII. ejusdem cap. fuerunt explicite per tractata, hic quoque locum obtinent, cum legum naturalium ea sit simplicitas, ut, si is, qui obligare se promissione sua potest, promissionem serio fecerit, obligetur illico quidem, sed reipublicæ non magis, quam si privatis

ea

ea facta fuerit. Vid. LAUTERB. *Colleg. theor. pract. de just. & jur. th. 16.* Lege positiva antem, maxime Romana alia obligationis istius coepit esse ratio. Etenim cum pollicitationi privatis factæ illa demum inesset obligandi vis, quæ *cap. 11.* vindicata eidem fuit, in lege civili contra pollicitatio reipublicæ facta majorem Legislatorum favorem promovit: quippe qui pollicitationem omnem æstimarunt obligatoriam, quæ vel *justa causa* nitatur, vel *capto opere*. ULPIAN. in *l. 3. D. de pollicitis.*

§. III.

Justa causa, quæ efficit, ut pollicitatio obligationem validam atque efficacem in foro producat, plures comprehenditur species. Etenim *propter incendium, vel terra motum vel aliquam ruinam, quæ reipublica contingit, si quis justa causa promiserit, tenetur.* MARCIAN. in *l. 4. D. de pollicitis.* *At, si qualis que ob casum, quem civitas passa est, si quis promiserit se quid sit, facturum, etsi non inchoaverit, omnimodo tenetur.* PAUL. *l. 7. D. eod.* Sed omnium maxime, si quis *sui alienive honoris causa*, vel *ob honorem*, vel *sacerdotium* quid Reipubl. promiserit, ex pollicitatione sua obligatur.

§. IV.

Enimvero non sine causa controvertitur, qua ratione sustineri queat, quod *justa illa sit pollicitationis obligatoriae species*, quæ vel *sui alienive honoris causa*, vel *ob honorem*, vel *sacerdotium* emissa fuerit, cum tamen lege Julia prohibitus fuerit ambitus, ita ut si quis honorem vel sacerdotium contra hanc legem petere præsumserit, per *SCrum* centum aureis cum infamia puniatur. MODESTIN. in *l. un. §. 1. D. de leg. Jul. amb.* Sane hanc ob causam sub pollicitationis permissione astutam legum de ambitu latere elusionem, quasi polliceri liceat, quod promitti non potest, conjecturam capit, post ACCURSIUM & BAR-

Pollicitatio ob honores non adversatur L. Jul. de ambitu.

BARTOLUM, BEYER. *delin. jur. sec. ord. pandect. tit. de pollicit.* Eodemque modo, ut ne participet de crimine ambitus pollicitatio ob honorem facta, statuit LAUTERB. *colleg. theor. pract. cod. tit. rb. 8.* ambitum conventionem perfici, qualis nulla in pollicitatione intervenit. Sed impetrare a me nunquam potui, ut tam fallacem existimarem Jctorum prudentiam. Idque tanto minus, cum maximum intervallum inter ambitum promissione pecuniæ vetita constitutum, & pollicitationem ob honorem factam interjectum putare oporteat. Leges quippe de ambitu latae sunt permultæ; priusquam comitia ad senatum, & a senatu ad Principem fuerint translata, quas ordine recenser, SIGON. *de judic. lib. 2. cap. 30.* sed legibus illis pecuniæ distributio prohibebatur saltem, quæ ob honores futuros, aut nondum certo decretos, vel pendebatur, vel promittebatur. Neque vero pollicitatio ob honores alia iusta fuit, quam quæ facta esset, cum quis post honores sibi ultro decretos, ut gratiam reipublicæ referret, pollicitationem emisisset, quod eleganter exposuit decus istud Galliæ eximium, GUIL. BUDÆUS, *annot. rel. ad l. 11. D. de pollicit.* & ex eo DUAREN. *Comment. ad tit. D. de donat. cap. 6.* Itaque cum ULPIAN. in *l. 1. §. 1. D. de pollicit.* obligari pollicentem statuat, *si quidem ob honorem promiserit, decretum sibi, vel decernendum,* ea verba non aliter intelligenda erunt, quam si honorem pollicens eam consecutus, vel *sine pollicitatione certo* sit consecuturus. ZAS. *opp. tom. 3. lect. in tit. de verb. oblig. rubr. num. 6.* Quæ tanto magis veri sunt similia, quod Magistratus olim designati fuerint prius, & post aliquod tempus deinde magistratum inierint. Vid. MARCELL. in *l. 36. pr. D. de condit. & demonstrat.* Intra quod spatium pollicitationes licite fieri poterant. Quo pertinet, quod PLUTARCH. in *Bruto* dixit,

dixit, spectacula Romæ mercedes fuisse magistratum collatorum.

§. V.

Vindicata hoc modo pollicitatione ob honores, &c. a crimine ambitus, disquirendum nunc porro est, quemadmodum pollicitatio ejusmodi fieri potuerit. Docet nos *MODESTIN.* in *l. 11. D. de pollicit.* quod ob honorem pollicitatio emissa præstandi necessitatem, sicque eam inducat obligationis speciem, quam *cap. 1. §. XIX.* exhibuit. Honor vero nihil aliud est, quam *administratio reipublice cum dignitatis gradu* conjuncta. *CALLISTRAT.* in *l. 14. pr. D. de muner. & honor.* Unde, quotiescunque quis ideo sumptum se facturum promiserit, tenebitur ipse ex pollicitatione, *ULP.* in *l. 1. §. 1. D. de pollicit.* quæ in heredum persona non minuitur, quia *eris alieni loco habetur*, veluti inquit *ID.* in *l. 6. pr. d. iii.* Nisi forte, antequam honorem vel magistratum inear, pollicens decesserit, cum ideo non oporteat heredem conveniri in pecuniam, si opus eo vivo necdum cœptum sit. *MODEST.* in *l. 11. D. eod.*

Quæ sit pollicitationis ob honores obligatio.

§. VI.

Atar, quod de obligatione heredum in efficienda decessoris pollicentis voluntate dixi, refellere videtur *POMPONIUS* in *l. 14. D. de pollicit.* qui heredem extraneum alternative, aut ad perfectionem operis, aut ad solutionem quintæ partis patrimonii sibi relictæ, si malit, heredem vero, qui ex numero liberorum est, eo casu decimæ concedendæ necessitate adfici voluit, idque ex constitutione *ANTONINI Imp.* veluti ipse in fine adjungit. Sed tam abstracta minime est compositionis spes, quin *POMPONIUS & ULPIANI* auctoritas simul queat consistere. Etenim quod est *promissum ob honorem*, duplici modo sponderi potest: uno modo, cum quis *sui alienive honoris causa* quid pro-

Pomponius explicatur.

De pollicitationis ob honorem obligatio.

promiserit, quo sensu accipienda sunt tradita ULP. in l. 3. D. de pollicit. Conf. ID. in l. 6. cod. MODEST. in l. 9. & rr. D. cod. Atque non aliter POMPON. in initio l. 14. D. ibid. Ex aduerso autem quod promissum est ob honorem, promitti potuit ad honorem civitatis, vel universitatis, ut sibi pollicens honorem, famam, benevolentiam aliorum conciliet, gratamque apud posteros memoriam conservet, honorem vero & ornamentum civitati adferat. Cujusmodi pollicitationem Septicia fecerat, ULPIANO teste l. 10. D. de pollicit. ac testator ille, de quo MODEST. in l. 16. D. de us. & usufr. Quippe ad honorem pertinet, quod ad minus edendum venationemve, ludos scenicos, ludos circenses, aut quod ad divisionem singulorum civium, vel epulum promissum fuerit: hoc amplius, quod in alimenta infirmæ ætatis relictum fuerit, ad honorem civitatis pertinere respondetur, quemadmodum luculenter demonstravit PAUL. in l. 122. pr. D. de leg. 1. Quæ si rite expendantur, & verba l. 14. quæ ex constitutione Trajani Imp. petita sunt, ab eis separentur, quæ constitutionem Antonini Imp. respiciunt, facillimo negotio ita controversiam definire licebit, ut postrema POMPONII verba ad pollicitationem ad honorem factam referantur, cujus quod non tam acerba esse debeat exactio, quam ejus, quæ ob causam præcedentem, id est ob honorem, puta decretum, emissã fuit, ratione juris persuadetur.

§. VII.

De pollicitatione ob honorem alienum. An vero quis sui, an alieni honoris causa pollicitus fuerit, perinde est. Cum enim non tantum masculos, sed etiam feminas, si quid ob honores pollicitæ sint, debere implere sciendum sit, veluti ULP. in l. 6. §. 2. D. de pollicit. docuit, res ipsa loquitur, alieni honoris causa pollicitationem fuisse omnino licitam, justamque. Etenim foeminas ab

ab omnibus officiis civilibus, vel publicis, sicque honoribus remotas fuisse, regulæ ad instar juris auctores observari voluerunt. ULP, l. 2. D. de reg. jur. ibique JAC. GOTHOFRED. in Comment. Quare pro se polliceri utique haud potuerunt. Atque hinc M. TULL. Orat. pro Muran cap. 35. de propinqua Candidati jure dicere potuit: *Si virgo vestalis propinqua locum suum gladiatorium concessit (in gratiam alterius) non est illa pie fecit?*

§. VIII. Quemadmodum autem ob honorem Magistratus polliceri licitum erat, ita non minus ob Sacerdotium. Alia enim certe conferendi Sacerdotii apud Romanos extitit ratio, quam deinde apud Christianos purioris doctrinæ luce illustratos. Etsi enim apud eos erant, qui a collegis suis coopertarentur, quales erant Salii, Luperci, fratres Aruales, Sacerdotes Galli, & Sacerdotes Titii, vel a Pontifice Maximo caperentur, uti vestales, alii tamen a populo, uti & reliqui Magistratus in comitiis creabantur. Nimirum Regem Sacrorum Centuriata comitia; uti flamines, & Curionem maximum Curiata comitia efficiebant. Vid. MERUL. de comit. Roman. cap. 4. Pariter & Pontificem Maximum in Comitiis a populo constitui moris fuisse, satis constat ex LIV. histor. lib. 25. cap. 5. Neque primus fuit Cn. Domitius, qui populi suffragiis crearetur Pont. Max. uti censuit ONUPHR. lib. V. fast. recte propterea reprehensus a BOSIO, de Pontif. Max. Rom. cap. 2. §. 3. Atque lege Domitia aliorum etiam sacerdotum designatio a collegiis ad populum translata fuit, quemadmodum ex eis colligitur, quæ adtulere SÜETON, in Neron. cap. 11. & VELLEJ. PATERC. lib. 2. cap. 12. Quamobrem, abrogato nondum comitorum in constituendis sacerdotibus jure, manifestum redditur, candidatos sacerdotii, propter

citagild
-atitillog
do zinon
An polli-
ceri liceat
ob Sacer-
dotium.

decretum, vel certo decernendum sibi sacerdotii gradum pollicitos Reip. recte fuisse: imo vix aliter potuisse, quin pollicerentur munera, cum tanta ludorum ac spectaculorum apud Romanos esset gratia. Vid. M. TULL. *pro Murten*, cap. 45.

§. IX.

Obligatio pollicitationis ob captum opus.

Propter captum opus pollicitationis obligatio extensa aliquantum fuit. Cum enim, ut ex pollicitatione reip. facta conveniri quis posset, justa causa pollicitationis requireretur, ex adverso si quis opus promissum inchoaverit, pollicitatio indistincte obligat, sive justa causa præcesserit, sive non. ULP. l. 3. *pr. D. de pollicitis*. Quando vero opus fuisse inchoatum censere oporteat, ex circumstantiis erit judicandum. Etenim verum quidem est, inchoatum opus statim dici non posse, ideo quod unum vel alterum fuerit cæmentum impositum: ULP. l. 21. §. 3. *D. de nov. op. nunciat.* cum ejusmodi materialia colligi possint, etiam ubi certam quis nondum destinationem fecit. SCHILTER. *prax. jur. Rom. exercit.* 42. §. 5. Sed vicissim negari nequit, inchoasse ædificare cum etiam dici, qui nondum ædificet. ULP. l. 5. §. 1. *in f. D. de nov. op. nunciat.* Quare judicio ejusdem ULPIANI in l. 21. §. 3. *in f. d. rit.* standum erit, scilicet opus factum accipi. *si proponatur instar quoddam (operis) & quasi facies quedam facta operis.* Quod IDEM luculentius adhuc exponit l. 1. §. 3. *D. de pollicitis*, dum inquit: *Cæpisse sic accipimus, si fundamenta jecit, vel locum purgavit. Sed & si locus illi petenti destinatus est, magis est, ut cæpisse videatur.* Item si apparatus sive impensam in publico posuit. Cum vero inchoatum fuisse opus extra contentionem sit positum, pollicens precise ad opus perficiendum teneretur, quia deleri quod gestum est, non oportet: ID. l. 1. §. 5. *d. l.* ita ut relegatus etiam ad id teneatur, nisi pro-

prohiberi distractionem fundi sui maluerit. PAUL. in l. 8. D. *ibid.* Quamvis id non aliter teneatur præstare, quam secundum formam pollicitationi datam. MODEST. in l. 10. in fin. D. *de pollicit.* Quare ad inferendam pecuniam loco operis cogi nequit. PAPIN. l. 13. pr. *cod.* Nisi forte conditiones Reipublicæ damnosæ fuerint. ID. l. 13. §. 7. D. *ead.* Ubi tamen, si donatorem pauperem factum esse contigerit, is quintam partem patrimonii saltem impendere debet, veluti Pius Imp. constituit. MODEST. l. 9. D. *ibid.* Imo, si opus perfectum fortuito casu aliquid passum sit, periculum ad pollicentem non spectat. ULP. l. 1. §. 6. D. *ibid.* Quemadmodum nec magis tenetur inquietudinem sustinere, utpote ob non integram promissam quantitatem ad id opus erogatum, vel inutiliter facto opere, aut alia quacunque ratione, quod ZENONIS Imp. est rescriptum l. un. C. *de ratioc. oper. publ.* Quod si etiam promissor decesserit, non aliter heredes obligabuntur, quam secundum ea, quæ MODEST. in l. 9. D. *de pollicit.* ex rescripto Severi, & Antonini Imp. asseruit, scil. si bona liberalitati solvendo non fuerint, extraneum heredem in quintam partem patrimonii defuncti, liberos in decimam teneri. Sub quibus tamen nepotem ex filia quoque contineri, Pius Imp. rescripsit. ULP. l. ult. D. *ibid.*

§. X. Post Augusti Imp. tempora translatum in republica Romana fuisse comitorum jus ad senatum, hinc vero ad Principem, supra asserui. §. IV. h. cap. Quæ translatio insignem pollicitationi reipubl. factæ non adferre non potuit metamorphosin. Neque enim ob honores pollicitatio adeo amplius esse videbatur necessaria, quia ad curam Principis magistratuum creatio pertinebat, non ad populi favorem: MODEST. l. 1. pr. *de leg. jul. ambit.* quemadmodum

modum a Principe quoque Sacerdotii collatio peregatur, quod proprio exemplo probavit PLIN. *lib. 4. epist. 8.* Attamen in municipiis hujus pollicitationis usus permanebat eodem modo, quo & leges ambitus ibidem conservatae sunt. Vid. MODEST. *d. l. §. 1.* Imo & in ipsa urbe Romana reductum aliquando fuisse pollicitationum usum, vix ambigi poterit. Sane Domitianum Imp. quaestoria munera sub Nerone abrogata in usum revocasse, testis est SÜETON. *in Domit. cap. 4.* Deinde etiam quaestorum onus adauxit Alexander, quippe qui quaestores candidatos ex sua pecunia munera populo dare iussit. LIPS. *de Gladiis. lib. 1.* Et quamvis JUSTINIANUS Imp. *Nov. 8. cap. 1.* promissionem pecuniae ob honorem gravissima poena imposita prohibuerit, quemadmodum contra CUJACIUM recte defendit ANT. MATTHÆI, *de crim. lib. 48. tit. 1. cap. 1. num. 4.* ea tamen prohibitio vix casum complectitur, si quis ob munus jam acceptum liberalem suam munificentiam, pollicitatione facta, reip. ostendere voluerit. Conf. §. V. *h. cap.*

§. XI.

Quae hodie pollicitationis reip. factae sit obligatio.

Quod mores attinet, & recentiorem fori observantiam, nullus est dubitationi locus, quin ex pollicitatione reip. serio & ita facta, prout, ut quævis pollicitatio formata sit, indoles istius requirit, vid. §. II. *h. cap.* obligatio, & jus conveniendi pollicentem nascatur. Etenim *cap. II. §. ult.* demonstratum dedi, quam retinens sit pristini juris ætas nostra, ut nimirum consensui partium simpliciter eadem adscribatur efficacia, quam aliis legitimis conventionibus. Quamobrem statui omnino debet, quod si quis non ob causam lege positiva prohibitam, sed simpliciter, certam pecuniam, vel rem aliam licitam reipublicæ promiserit, hunc voluntatiæ obligationis vinculo validissimè

mc

me esse obstrictum; ita ut pollicitationis immemor ad præstationem fidei officio iudicis compellatur. GROENWEGEN *de leg. abrog. tit. de pollic. num. 7.* Quæ etiam causa est, ut a pollicitatione privatis facta non ob firmamenti, sed formæ diversitatem distinguatur. *TIT. jur. privat. lib. 4. cap. 13. §. 3.*

§. XII. *VAL. in §. munitus miao*

Enimvero quæ quæstio maximæ difficultatis est, eam Pollicitatio Reip. ferme omissem. Scilicet pollicitationi in genere confideratæ nullam inesse obligandi vim, nisi cum acceptata fuerit, supra enodavi. *cap. I. §. XXXI. & seqq.* Pariter pollicitationem privatis factam hodieque obligatione destitui, quousque acceptatio nondum accesserit, *cap. II. §. II. III. & VII. manifestavi.* Hanc vero acceptationem in pollicitatione reip. facta nequaquam requiri, DD. confidenter asseverant fere omnes. Periculum tamen faciam, annon demonstrari majore probabilitate possit, in pollicitatione reip. facta quoque acceptationem omnino esse necessariam, eandemque ab auctoribus juris supponi. Ut autem ab eis, quæ magis expedita sunt, initia ducam, nemo I. inficias iverit, pollicitationem cum traditione conjunctam, de qua specie agit ULP. in *l. 3. §. 1. D. de pollic. acceptatione reip. niti*, cum qui sibi tradi rem permittit, utique consentiat, & qui non contradicit, dum contradicendi jus habet, in favorabilibus consensisse videatur. Vid. *cap. I. §. XXXVI.* Quod si vero II. pollicens non tradiderit quidem rem, vel alio modo obligationi suæ plene satisfecerit, vid. *§. IX. b. cap. reipublicæ acceptationem pariter adesse modo, firmiter persuasus sum.* Quippe cum in publico opus inchoatum sit, respública destinationem pollicentis utique cognovit, quia in his, quæ publice fiunt, semper scientia præsumitur, *GLOSS.*

Pollicitatio Reip. facta an sine acceptatione obliget.

K. CAPUT

in cap. 1. X. de postulat. Pralat. & quia non contradixit, aut prohibuit ædificantem, pollicitationem acceptavit. Vid. cap. 1. §. XXXVI. cap. II. §. VII. Cum denique III. pollicitatio nec implementum acceperit, neque inchoatum opus sit, propter solam reipublicæ acceptationem ex pollicitatione nasci obligandi vim itidem auguroſ. Semper enim animum ferit JAVOLENI in l. 55. D. de oblig. & act. convenientissima æquitati sententia, ubi ait: *In omnibus rebus, que dominium transferunt, concurrat, oportet, affectus ex utraque parte contrahentium: nam sive ea venditio, sive conductio, sive donatio, sive qualibet alia causa contrahendi fuit, NISI ANIMUS UTRIVS QUE CONSENTIT, PERDUCI AD EFFECTUM ID QUOD INCHOATUR, NON POTEST.* Atque ad pollicitationis modum si respiciatur, acceptationis simulachrum ubique occurret, si ea valide pronunciata fuerit. Quippe cum in præsentia eorum, qui rem publicam administrant, pollicitationem quis protulerit, uti ea apud rempublicam facta esse intelligitur, MODEST. in l. 9. D. de pollicit. vel a decem primis acceptata; vid. ID. l. 10. eod. ita propterea obligatoria esse incipit, sive expresse acceptata fuerit, sive taciturnitate excepta. Cap. 1. §. XXXVI. Cum vero pollicitus absens quis ita fuerit, ut pollicitatio reip. demum per epistolam vel nuncium inpotescat, sine acceptatione vis istius nulla esse intelligitur. Quod si enim cum CUJACIO, lib. 26. obs. 19. & aliis statuatur, pollicitationem per epistolam factam nulla obligandi efficacia esse præditam, res per se clara est. Quod si autem validitati pollicitationis confessio per epistolam facta nihil detrahat, quæ quorundam est sententia, vid. BUDÆ. comment. ad l. Charidemus. D. de pollicit. a literarum acceptatione, ac retentione omnis pollicitationis virtus erit repetenda, quo ipso acceptatio rursus includitur.

tur. Vid. *cap. 1. §. XXXV.* Quod idem de pollicitatione per nuncium significata tenendum erit. *Cap. 1. §. alleg.* Imo pollicitatio si ore prolata sit nemine præsentē, qui rempublicam repræsētet, acceptatione nihilominus obligationis efficaciam constitui, probabile est: licet eandem abesse plerique contendant. Quippe juri naturali non magis, quam juri civili consona est doctrina, acceptationem factam censeri, si rogatio promissionem præcesserit. B. THOMAS. *Jurisprud. Divin. lib. 2. cap. 7. §. 13. & 14.* STRYCK. *Us. mod. Digest. tit. de donat. §. 3.* At enimvero Legislatores Romani, quia pollicitationem reipubl. licito modo factam, validam esse pronunciarunt, eandem tacite acceptarunt, sic ut pollicitationi huic acceptationem deesse minus recte inferatur. Celeberr. GUNDLING. *opusc. fasc. 29. cap. 3. §. ult.* B. THOMAS. *fundam. Jur. Nat. & Gent. lib. 2. cap. 7. n. 9.* GOMEZ. *tom. 2. var. resolut. cap. 9. n. 7.* Unde simul colligitur, ab acceptatione vim pollicitationis omnino esse deducendam. Quo ipso tamen Principi non denegatur facultas, pollicitationi etiam non acceptatæ eam adjiciendi vim, quæ acceptatæ tribuitur: vid. MOLIN. *de just. & jur. tom. II. disp. 263. num. 9. & seqq.* quia scil. lege civili eis etiam promissionis speciebus robor adjici potest, quæ vi propria obligationem haud producant. *Cap. 1. §. XIV.*

K

CAPUT

CAPUT QUARTUM,
De
OBLIGATIONE POLLICITATIONIS DEO FACTÆ,
SIVE DE VOTO.

§. I.

Quid fuerit votum olim & quotuplex.

VOti significatio hodie pollicitationi Deo factæ respondet. Sed Romanorum jure latius patuit, cum pollicitationes Principi factas quoque complecteretur. Quemadmodum enim **ULPIANUS** in *l. 2. D. de pollicit.* voti reos illos esse statuit, qui rem sacram pollicitatione sua efficere cupivere; ita contra **ARCAD. & HONOR. Imp.** in *l. un. C. de oblat. votor.* cui respondet *l. 1. C. Theod. eod. tit.* votum tunc emanasse autumant, cum sedulitas offerentium Principi quid detulerit.

§. II.

De obligatione voti Principi facti.

Etiam si vero pollicitatio Principi facta ut obligatoria esset, favor Principis ac reip. persuadeat, Principes tamen ipsi indefinitam votorum hujusmodi esse licentiam noluerunt. Quippe constitutum quidem erat, ut in aliis muneris sui partibus Senatores vel Principatus initio, vel quinquennialibus, aut decennialibus, vel tertio lustro Imperii, item post victoriam a Principe partam, aut post Kalendarum Januariarum, aurum offerrent, ita ut omnes ad id tenerentur Senatores, ad sensumque absentes præbere cogentur. **JAC. GOTHOFRED.** ad *l. 5. Cod. Theod. de Senator. & de gleba.* Sed vicissim id Imp. jussu observari debuit, ut in una libra auri solidi septuaginta duo obryziaci

ziaci saltem offerrentur. *L. 1. C. de oblat. vot. & GOTHOFRED. ad l. 1. C. Theod. eod.* Quo referendum erit, quod *SYMMACH. lib. 10. epist. 26.* scripsit: *Sanus muneris modus, votum est saepe faciendi: Absit, ut bona Principi, plusquam possimus, ingeramus. Amantium quippe largitio non deteris vires offerentium.* Add. *PEREZ. Cod. tit. de oblat. votor. per tot.*

§. III.

Vota vero, aut pollicitationes, quæ Deo fiunt, quod *De obligatione voti Deo facti dubitatur.* attinet, existentiam eorundem & indolem Jurisconsulti communiter quidem, Canonistæ maxime defendunt, neque tamen communiter id, quod in ipsa re controversum est, exhauriunt. Nam non male *HOBBS. de civit. eccl. & civil. cap. 14.* de obligatione voti, quatenus speciali ex fonte oriri dicitur, non adeo magnifice sentit, dum inquit: *Pacisci cum Deo, nisi mediante aliquo, quem Deus alloquatur, vel locum Dei teneat, impossibile est, aliter enim, an Deus etiam pactus sit, nec ne ignoramus.* Itaque qui *vovet Deo aliquid, quod contra legem naturalem sit, frustra vovet, quia illicitum est; sin lege naturali mandatum sit, frustra est, quia vovens non suo voto, sed nature lege obligatur.*

§. IV.

Ne autem in notione pollicitationis Deo factæ, aut *Votum Deo factum quid sit.* voti quicquam aberrem, definitionem præmittere lubet. Neque me falli existimo, si votum definiverim, *deliberatam promissionem, Deo vel ob Deum, sive ex pietate ecclesie similive societati factam.* Ex qua definitione consequitur, votum duplicis esse generis: unum puta, quod sit *mediate Deo,* licet executio ejusdem homines spectet, alterum autem, quod *propter Deum sit societati ob cultum divinum suspiciendæ.*

K 2

§. V.

Votum
producit
obligatio-
nem in-
ternam.

§. V. Quod si jam votum Deo speciatim factum sit, quin exinde obligatio interna sequatur, quam cap. i. §. X. & seqq. explanavi, haud est ambigendum. Equidem Illustr. BOEHMER *Jur. Eccles. Protest. lib. III. tit. 34. §. 3.* graviter quaerit: *Quid est, quod homo, creatura abjecta sortis, Deo aliquid promittere & offerre possit? Quid homo creatori dabit? aut quomodo se eidem peculiari obstringet nexu, qui totus Dei esse, atque totus ei vivere debet? Quotidie in precibus Deo cor offerimus, quotidie morum emendationem stipulamur: an ergo quotidie vovemus, an preces quotidiana, suspiria atque devotionis opera sunt vota? Præterea cui quid promitto, cui me obligo, & obstringo, tale quid offero, ut ejus intersit, promissum a me præstari, hac deficiente circumstantia vinculum juris deficit. Ecquid autem Deo omnipotenti promitti potest, ut ejus intersit, hoc vel illud præstari? Sunt hæc negotia hominibus propria, quæ ad Deum non sine difficultate trahuntur. Enimvero homines pietatis & virtutis studiosi, licet intelligant se lege teneri ad officia injuncta præstanda, sibi tamen votis & promissis de novo conceptis stimulum & animum addere possunt, ut acrius incumbant, & officium intendant, ad quod exequendum erant prius obligati. VELTHUYS. de *vot. celib. opp. tom. i. pag. 202.* Præterea etiam in eis, quæ arbitrio hominum lege sunt permessa, ut homines sibi ipsis vinculum imponant voto, licitum est. Quod tamen aliter eosdem haud constringit, quam si Dei acceptatio accesserit, quæ ex præscripto divinæ revelationis præsumitur, secundum quam vota nuncupata solvenda esse Deus jussit. TIT. *Jur. privar. lib. 4. cap. 13. §. 6.**

§. VI.

Aliquan-

Etiam si vero ex hujusmodi voto non alia nisi interna obligatio

obligatio sequatur, *externa* tamen obligatio quoque con- *do exte-*
 stituitur, cum vel potestate divinitus concessa, qua Deus *nam.*
 jus sibi debitum persequi potest, vel publica lege jus exi-
 gendi certis personis indultum fuerit. Quæ obligatio lu-
 culentius adhuc deprehenditur, cum votum ecclesiæ aut
 simili corpori factum sit, & ab eis acceptatum, qui ec-
 clesiam repræsentant: *TIT. alleg. l. §. u.* adeo ut obliga-
 tio non in vovente tantum subsistat, sed ad heredes etiam
 transeat, prout dixit *ULP. l. 2. in f. D. de pollicit.*

§. VII.

Atque hæc, requisitis voti collectis, examinare ulte- *Conclusio*
 rius animum quidem induxeram, ut tanto liquidius appa- *Disserta-*
 reret, quænam personæ vovere possint, quomodo con- *tionis.*
 cipienda vota, de quibus rebus, & quousque valeant, at-
 que in quibus propterea obligatio voti ab obligatione alia-
 rum pollicitationum discederet, quarum indolem *cap. I.*
II. & III. e tenebris eruere allaboravi. Enimvero, quod
JUVENALIS Satyr. 3. v. 316. & seqq. cecinit, continuo
 intercessit, effecitque ut filum abrumperem. Nam
 - - *fumenta vocant, & Sol inclinat, eundum est.*

Et mihi commota jam dudum mulio virga

Adnuit.

Quare secundis curis ea, quæ dicenda ulterius erant, re-
 servans hic gradum sisto.

F I N I S.

K 3

CO-

COROLLARIA.

I.

Virgo moderamine inculpata tutele adversus violentum pudicitia aggressorem recte utitur.

II.

Famis necessitate motus esculenta surripiens furti non renetur.

III.

Juramentum metu prestitum validum est.

IV.

Obligatio ex juramento metu prestito nata transit ad heredes.

V.

Privilegia sunt revocabilia.

VI.

Fœdera in dubio realia sunt.

VII.

Religio ab imperio jure gentium est libera.

VIII.

Pœna liberorum in crimine Majestatis non repugnat Legi Divina.

IX.

Imperator sine Statibus leges universales decernere nequit.

X.

Authentica Novellarum non valent, nisi quatenus cum istis conveniunt.

XI.

XI.

Exceptio non numerata pecunia, post biennium omnino perimitur.

XII.

Obligatio bey verlust seines ehrlichen Namens / debitori non solventi infamiam inurit.

XIII.

Fides data etiam haeretico est servanda.

XIV.

Clericus actione reali coram iudice laico conveniri potest.

XV.

Famulo ante finitum locationis tempus discedenti nulla merces debetur.

XVI.

Sponsiones per se omni jure sunt licitae.

XVII.

Qui pacto casus fortuitos in se suscepit, etiam insolitos praestare tenetur.

XVIII.

Conductor ob metum spectrorum discedere ex adibus locatis nequit.

XIX.

Pecunia iustitica pertinet ad peculium profectitium.

XX.

Causarum feudalium deciso ex legibus feudalibus Germanicis potius, quam Longobardicis peti debet.

F I N I S.

❁ (80) ❁

SENTENTIAE ETEOLOGICÆ,
D I C A T Æ
NOBILISSIMO CONSULTISSIMOQUE VIRO
DIDERICO ROSENCAMP,
J. U. D.

BREMA - SAXONI.

Materia publicitus defensa.
DISPUTATIO IVRIS, pro gradu habita, De POLLICITATIONIBUS.

Lectio Cursoria.
EXPLICABAT AUDITORIBUS plena & generalia testamenta.

Thema Orationis Inauguralis.
CANDOR Integer, requisitus in vero CASSARVM patrono.

Fides iurejurando data.
AVGVSTO BORVISLÆ regni, ut & senatus ACADEMICI.

Annus Promotionis solennis.
ROSENCAMPIVS, IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR.

Promotor & Brabeutes.
HEINRICVS theodorVS pagenstecherVS, IVRIVM Professor.

Dies Promotionis.
CLANGENTIBUS tVbis, Die VIGESIMO tertio IVLII. Academia.

HONORES tVLIt DVIsbVrgl CLIVorVM.

Omen.
VIVat & honoretVr ROSENCAMPIVS, IVRIS DoCtor!
WILH. NEUHAUS,
SS. Theol. D. & Prof. Ord.

HONORIBUS AC MERITIS
 NOBILISSIMI CONSULTISSIMIQUE VIRI,
DIDERICI ROSENCAMP,

Duisburgi Clivorum a. d. XXIII. Quintilis

Aerae Christianæ clo 1000 XXIX.

solenniter promoti

J. U. D.

Sancta Themis, Patrona fori, pacisque Magistra,
 Distribuens aequa lance cuique suum;

Haec bene culta suis cultoribus auget honores,

Et fundit plena praemia larga manu:

Nempe Viros, quorum Jurisprudencia pectus

Imbuit, in summo culmine stare jubet.

Docte ROSENCAMPI, radians candore modesto,

Ecce! datur meritis Laurea nexa Tuis.

DOCTOR es! ingenti gaudens Academia plausu

Exceptit Studii signa probata Tui.

Te Pater & Patriae Respublica libera JURIS

DOCTOREM reducem dicet uterque Suum,

Munera non deerunt, conabitur incluta BREMA

Inter Honoratos Te numerare PATRES,

Ominor! & fiet velut ominor, auspice coelo,

Ut ROSA sis Patriae suavis odore Tuae.

Immo ROSENCAMPI! mox & ROSA casta Roseto

Juncta Tuo Patriae plena Roseta dabit

Sis ROSA, quae canis necdum defloreat annis:

Sis ROSA grata polo: Sis ROSA grata solo!

I A C O B V S E C K

DVsbVrgI IVrIVM Professor.

L

Polli-

Pollicitis adhibere fidem, nec fallere, pactum
 Quod semel, & firmo more modoque ligat;
 Postulat hoc juris constantis regula sacri,
 Nec minus hoc æqui iustitiæque tenor.
 Hæc Tibi materies, hæc culto sola Labori,
 Qua Tibi pro meritis Laurea parta fuit.
 Pulchra quidem res est, nec contemnenda facultas,
 Talia legitimo posse polire modo;
 Sed facile omne Tibi, per tot loca pectore gazas
 Qui concessisti nobiliore prius;
 Cui Themis ipsa dedit, nec non Astræa favorem,
 Et pariter dignas accumulavit opes.
 Præmia Duisburgum cui nunc quoque debita præbet,
 Et majora olim patria Brema dabit.
 Gratulor, hac multos Tu forte fruaris in annos;
 Sic ego; sic mecum quilibet ordo voyet.

*Sic, novos honores Nobilissimo
 Dn. Candidato gratulatur
 ex animi sententia*

JOH. ADOLPHUS BAUERMEISTERUS,
 Gymnas. Duisburgensis
 Rector.

Vive Deo! pareat Magni TIBI Principis Aula,
 Et cum Divitiis TE comitetur Honos.
 Angelicamque Rosam, Venus inserat ipsa Rosam,
 Blanda tuo. Fiat! Sis memor usque mei.

R. H. NEUHAUS, LL. Stua.
 Hammona Westph.


Duisburg, Diss., 1729/81(1)


ULB Halle

004 527 070

3







DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA,

De

1729
179
OBLIGATIONE
POLLICITATIONIS,

Quam,

SOLO DEO PRÆSIDE,

Ex

DECRETO ET AUCTORITATE

Excellentissimi & Amplissimi

DOCTORUM ORDINIS

in Universitate Regia, quæ Duis-
burgi floret,

Pro

Summis in Utroque Jure Honoribus, & Privilegiis
DOCTORALIBUS, rite & more Majo-
rum consequendis,

*Ad diem Mensis Julii Anno MDCCXXIX.
H. L. Q. S.*

Solemni & placida Eruditorum disquisitioni exhibet

DIDERICUS ROSENCAMP,
BREM A - SAXO.

DUISBURGI AD RHENUM,

Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi.



UNIVERS.
ZVHALIE